DE

ECCLESIAE CATHOLICAE HIERARCHIA,

SIVE

DEMONSTRATIO:

ESSE IN ECCLESIA CATHOLICA HIERARCHIAM QUANDAM CUM ORDINIS, TUM JURISDICTIONIS, EAMQUE ET ECCLESIAE UTILEM, ET REI PUBLICAE HAUD DAMNOSAM.

DISSERTATIO,

QUAM,

SUBJECTIS THESIBUS,

CUM VENIA

REVERENDISSIMI THEOLOGORUM CATHOLICORUM ORDINIS,

IN AULA LEOPOLDINA

DIE IX Aug. HORA IX

PUBLICE DEFENDET

DR. FRANCISCUS HOFFMANN.

VRATISLAVIAE,

TYPIS KUPFERIANIS.

MDCCCXXV.

„In der Anlage remittiren Wir Ihnen die eingereichte Dissertation: de ecclesiae catholicae hierarchia, mit dem Beifügen, wie Wir gegen den Druck dieser Schrift in so fern Nichts erinnern wollen, als dieselbe Nichts, der katholischen Glaubens- und Sittenlehre Zuwiderlaufendes, enthält."

„Ingleichen senden Wir Ihnen die eingereichten Theses mit dem Beifügen zurück, dafs Wir gegen den Druck derselben Nichts zu erinnern finden."

Breslau, den 4. Juni 1825.

EMANUEL VON SCHIMONSKY,
Fürst-Bischof.

„Wir eröffnen Ihnen hiermit, dafs die anbei zurückfolgenden Schriften: de ecclesiae catholicae hierarchia, und die beigefügten Theses bereits von den, Seitens des Staats angeordneten Censoren, Herrn Regierungs-Praesident Baron von Kottwitz und Domherrn Krüger, mit dem Imprimatur versehen sind."

Breslau, den 5. Mai 1825.

Königliches Ober-Praesidium von Schlesien
im Allerhöchsten Auftrage.

RICHTER. SABARTH.

Avunculo

optimo ac meritissimo,

ANTONIO SCHOLZ,

parocho Hennersdorfensi, circuli Olaviensis scholarum inspectori, atque archipresbytero.

Summa et gravissima fuerunt beneficia, quae domi forisque liberali manu in me conferre dignatus es. Quibus, quod jure aliquo opponam, gratiae referendae cupidus, non habeo, neque unquam in vita habebo. Id solum ardenter opto, id a Deo O. M. enixe precor, ut per longam annorum seriem Te servet, Te reipublicae et sacrae et profanae salvum atque incolumem servet.

Accipe interim, Vir plurimum reverende, perexiguum illud, sin minus acuti ingenii, certe bonae voluntatis specimen, meque, nominis Tui studiosissimum, ut facis, etiam in posterum ama. Vale.

Scripsi Vratislaviae Calendis Juliis. MDCCCXXIV.

Argumentum.

Praemonenda.

„Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus."

Ecclesiastes IX, 11.

„Quaerite igitur primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis." Matth. VI. 33.

Placuit Venerabili Theologorum Catholicorum Ordini, ut argumentum, in scriptionis fronte propositum, temporique haud dissentaneum, tractarem, tractatumque, a Summo Senatu, res ecclesiasticas et scholasticas curante, clementer jussus, in Virorum amplissimorum consessu publice defenderem. Cui multa praefari, opus non est. Illud vero, quod viri docti jam pridem amice monuerunt, in memoriam revocasse haud poenitebit: scriptori cuique nonnisi ea, quae is ipse vel subtiliter excogitaverit, vel solerter expertus sit, concinne scribenda esse.

At aliis aliter videtur. Nec solum in iis rebus, quae ad religionis summam adtinent, (id quod in omni vita sua Catholicorum nemini licet,) verum etiam in illis, quae, salva religione, in utramque partem versari possunt, a via trita atque consueta vel transversum unguem recedere, piaculi instar habent.

Recte, an secus, nunc jam interpretari noluerim. Nam sua quilibet gaudet sententia [1]). Atque quis est, qui se ad omnium voluntatem conformare, qui omnium laudem sibi parere, qui omnium vituperationem effugere possit? Nemo certe. Neque Christus, neque Apostoli, neque eorum discipuli egregie id potuerunt [2]). Quod quidem uni placet, hoc, eheu! alteri haud raro vehementer displicet. Quapropter, dum alii omnem impendunt operam, ut post multas vigilias ac jejunia novi quiddam lucubrent; mihi animus ad id intendendus erat, ut nunc saltem non modo nihil novi in lucem proferrem, sed novi etiam speciem vitarem.

Quae verba bene considerata non illud sibi volunt, quasi scriptum a sententia dolose dissideat. Minime. Venalis enim adulatoris partes, quas agere cum unumquemque veritatis cultorem, tum christiani nominis theologum valde dedecet, toto corde respuo semperque respuam; neque unquam, cl. Muratorii vestigia gnaviter premendo, meras opiniones cum rerum summa temere confundi patiar. „Veri inquisitio atque investigatio sola scripturis suprema lex esto!"

Ut igitur rem haud inopem paucis complectar: do tibi, lector benevole, quod alii, et s. s. theologiae et juris ecclesiastici doctores dederunt, et do

1) Seneca epist. 45.: „Multum magnorum virorum judicio, aliquid et meo vindico."

2) Plena exemplorum et vetustas et recens aetas.

impraesentiarum iisdem fere verbis, quoniam idem duntaxat a me dari volunt aequi censores laudisque fautores; hoc tamen discrimine, quod ea, quae de re proposita in illorum operibus accurate copioseque disputata legis, in hisce pagellis vix ac ne vix quidem indicata reperias [1]). Id quod multis sane, qui nesciunt, qualis quantaque theologo, Catholicorum sacris addicto, ne aut arrogantiae aut temeritatis solvat poenas, adhibenda sit cautio, multo facilius atque commodius videbitur. Neque immerito. Nam hebetioris ingenii me esse oporteret, si, ejusmodi scriptionibus litterarum studia mirifice augeri et excoli, omni adseveratione adfirmarem.

Qua de causa, si quis morosus me meamque agendi rationem reprehendere vult; reprehendat, non refragor. Imo datur justae reprehensionis ansa. Ast duo, uti doctissimum, ita moderatissimum quemque rerum arbitrum humane atque officiose rogo: primum, ne ob unam alteramve sententiam, in bonam partem accipiendam, totum libellum, etiamsi brevi scriptura, pro libitu rejicere, sinistrumque de illius auctore judicium, quod non semper alti et excelsi est animi, ex libidine ferre audeat [2]); deinde vero, ut ne, forsan

---

1) Horat. serm. lib. I. sat. 4.: „Mi satis est, si traditum ab antiquis morem servare possum."

„Non plus sapere, quam oportet sapere, hoc est sapere - ad sobrietatem."

2) Spectat huc celebratissimum illud Ciceronis dictum, de officiis lib. I, c, 41.: „Fit nescio quomodo, ut

majora atque graviora quaedam de mea persona sibi pollicitus, praemature de aliis studiorum fructibus, (si Deo O. M. placuerit, neque antiquis hominibus prorsus displicuerit,) suo tempore proferendis, desperare velit, cum, (absit verbis invidia!) quod alii viri claritate praestantes potuerunt, idem, Deo bene juvante, ego quoque, pro virium modulo, in posterum honeste posse conaturus sim.[1]).

---

magis in aliis cernamus, quam in nobismetipsis, si quid delinquitur." Et de orat. lib. I. c. 25.: „Adest fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videat."

Christus autem, omnium philosophorum princeps, verus Dei filius, hanc praeclaram pronuntiavit sententiam: „Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε." Matth. VII. 1. 2. Cui divino oraculo firmiter insistens, equidem, pacis concordiaeque amator, alios temere non damno, neque ab aliis sine causa damnari volo; quippe cumulatiori mensura, quod datur, redditur. —

1) S. Augustinus: „Potuere hi et illi, cur non et ego?"

Ac quis est, qui non meminerit verborum: „Ed io anche son pittore!"

Hinc cl. J. M. Sailer im Handbuche der christlichen Moral. Landsh. 1818. B. II. p. 147. conscientia haud infirmatos et in sententia perstantes ita sentire jubet: „Das kann, das soll, das will, das muſs ich sein, das bin ich; so spricht der Entschluſs."

§. 1.

Hierarchiae ecclesiasticae notio atque divisio.

De ecclesiae catholicae hierarchia, re maximi sane momenti, verba facturo, ante omnia: quid et quam multiplex sit, paulo accuratius inquirendum esse videtur.

1.) Ac primum quidem, quod ad definitionem adtinet, hierarchia (ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἀρχῆς) per se sola nihil aliud, quam sacrum principatum significat [1]). Quae vox

---

1) Ita J. Casp. Suicer in thesauro ecclesiastico e Patribus Graecis concinnato. Amstel. 1728. tom. I. p. 1440: „ἱεραρχία est sacrum imperium, seu in rebus sacris imperium." ubi Dionysium Areopagitam cap. 2. de coel. hier. et cap. 1. de eccl. hier. citat.

Cf. Dionysii Petavii theol. dogm. de angelis tom. III. lib. II. c. 2. Lutet. Paris. 1644. p. 108: „Verum, ut subjectam hierarchiae vocabulo notionem et illius naturam melius intelligas, scire debes, ἱεραρχίαν haud satis apte nonnullos interpretari principatum sacrum, cum sit potius principatus sacrorum.

quanquam in s. litteris non occurrit; nihil tamen est, cur eam superba mente rejiciamus. Quid enim obstat, quo minus res antiqua novo designetur vocabulo? Primus autem, qui hanc appellationem ad ecclesiae statum transtulit, Dionysius Areopagita, aut quisquis fuerit auctor librorum: de hierarchia coelesti et ecclesiastica scriptorum, fuisse dicitur, ita, ut ab auctore, vel certo, vel incerto, simul nominis pendeat antiquitas [1]).

Quid igitur hierarchia ecclesiastica? Nil, nisi sacer principatus, in ecclesia, secundum diversos et officiorum et jurium gradus, sapienter constitutus. Qua quidem definitione duo, scilicet: et ministerium et regimen sacrum continentur. Quo vero excellentius unumquodque, eo altior etiam qua ministrorum, qua imperantium gradus [2]). I. Corinth. IV, 1.; Act. XX, 28. Neque ha-

---

1) Vid. Maximam bibliothecam veterum Patrum et antiquorum scriptorum eccles. Lugduni 1677. tom. II. p. 142. seq.

2) Alii aliis verbis utuntur. Quum autem Concilii Tridentini Patres sess. XXIII. fusiori hierarchiae ecclesiasticae explicationi supersedendum putaverint; idem nos, nova verba non aucupantes, commode facere posse, existimamus. Interim missis antiquioribus, e recentiorum ordine prodeant Greg. Zallwein in princip. jur. eccl. univ. et partic. Germaniae. August.

bemus, quod cum nonnullis, verba novantibus, cuicunque formulae deditis, ἱεραρχίας vocem repudiemus, eique ἱεροδιακονίαν, ἱεροδουλίαν, aut aliam quamcunque, idem fere sonantem, substituamus [1]). Non ἱεραρχίαν, sed, si mavis, perodiosam illam ἱεροδεσποτείαν unanimi consensu improbamus, damnamus. Cf. Luc. XXII, 24 — 27. I. Petr. V, 3. Nam in verbis sumus

---

1781. tom. IV. quaest. 2. c. 1,: „Hierarchia ecclesiastica nobis est principatus, secundum diversos gradus officiorum, functionum, vel potestatis inter ministros et rectores ecclesiae in ordine ad certa ministeria obeunda, et regimen ecclesiae exercendum a Christo constitutus.“

Et Steph. Wiest in demonstr. relig. cath. Ingolst. 1790. tom. III. §. 228: „Hierarchiae nomine intelligitur principatus sacer, secundum certos gradus tam ordinis, quam jurisdictionis distinctus, ita, ut ii, qui in ecclesia sacra potestate praediti sunt, certa ratione sibi invicem subordinentur.“

1) Petr. Suavis Polani hist. concil. Trid. libri VIII. August. Trinobant. 1620. lib. VIII. p. 599. „In Germania notam et reprehensionem non effugit sextum anathema, de hierarchia articulum fidei constituens, voce et significatione S. litteris et consuetudini primitivae ecclesiae non modo aliena, verum etiam contraria, et voce inventa a quodam fortasse satis antiquo, sed de quo haud plane constet, quis aut quando fuerit. — Quodsi stilum dicendi et modum operandi Christi servatoris nostri et sanctorum apostolorum et antiquae ecclesiae sequi voluissent, non hierarchiam, verum hierodiaconiam quandam aut hieroduliam statuendam fuisse.“

faciles, modo conveniamus in re; quamvis summopere optandum est, ut, quanto maximo studio fieri potest, vox et ipsa rei accurate respondeat. Paucis: Est logomachia, quales in quovis litterarum genere bene multas numeramus. —

2.) Quod deinde ad hierarchiae ecclesiasticae divisionem spectat; dividitur plerumque, σκοπȣ̃ ratione habita, in hierarchiam ordinis (der Weihe) et jurisdictionis (der Kirchengewalt). Quam varii varie definiunt. Etenim alii illam etiam hierarchiam ministerii, hanc regiminis seu imperii vocant; ubi sub ministerio facultatem eucharistiae mysterium conficiendi, vel circa illud ministrandi, sub regimine potestatem, ecclesiam quocunque salutari modo regendi, acriter intelligunt [1]).

Alii contra, hierarchiam ordinis: regimen ecclesiasticum internum, hierarchiam jurisdictionis: externum appellari sibi volunt. Illuc ea, quae ministri sacri, sacra ordinatione inaugurati, perficiunt, huc reliqua omnia,

---

1) In quorum numero habentur: Paul. Jos. de Riegger in institut. jurisprud. eccl. Vindob. 1751. P. I. §. 54. et 58 aliique Doctores austriaci, qui eum proxime et antecesserunt, et secuti sunt.

etiamsi humano arbitrio constituta, haud incommode revocant [1]).

Sunt denique, quibus nos quidem haud refragamur, qui per ordinem nonnisi habilitatem ad munus aliquod sacrum obeundum acquiri, per jurisdictionem vero ipsum juris exercitium conferri statuant, idque tum ex historia, tum ex analogia fusius probare conentur [2]).

a) Primo loco ex historia: Dari potest cl. Binghamo aliisque rerum ecclesiasticarum peritis, neque multis argumentis indiget, quod antiquioribus ecclesiae temporibus ordo a jurisdictione aut nunquam, aut raro duntaxat sejunctus, seu, quod cum suscepto ordine officium aliquod sacrum simul fuerit conjunctum [3]).

---

1) In hunc censum veniunt: Jos. Sauter in fundam. jur. eccl. Cathol. Frib. Brisg. edit. 1. cap. III. §. 33. et qui cum eo sentiunt.

2) Quorum in numerum referuntur: Fr. Andr. Frey in seinem kritischen Commentare über das Kirchenrecht. Bamberg 1818. Th. II. §. 2. cf. §. 242. aliique, sive dictis, sive scriptis clari.

3) Jos. Binghami origin. sive antiquit. eccl. latine vertit I. H. Grischovius Hal. Magd. 1751 vol. 1. lib. II. c. 1. §. 1.: „Distinctio veteribus ignota fuit, quibus vocabula ista: ordo, gradus, officium, potestas et jurisdictio, — unum idemque significant."

Faciunt huc: verba Christi, nullam hujus modi distinctionem prae se ferentia; faciunt: vocabula a S. Patribus interdum promiscue adhibita; faciunt demum: ipsa vox ordinandi (zu einem Amte verordnen, anstellen), canon ille: „ne quis sine titulo (Kirchenamt) ordinetur[1]),“ atque hodierna etiam episcopos non sine titulo aliquo ordinandi consuetudo. Quare non defuerunt, qui laudabilem illam disciplinam in pristinum restituendam recte judicarent.

At inde non sequitur, quod nullum ejusmodi discrimen, tanquam rei inhaerens, jam ab ecclesiae primordiis observari, quod nequaquam temporis decursu gravissimis de causis ea, quae olim sapienter inter se juncta erant, separari liceat, ut denuo utiliter secum conjungantur. Nam, ut alia omittamus, quis nescit, presbyteros nonnisi consentiente episcopo ad populum concionari, eique sacramenta administrare potuisse? Quis igno-

---

1) Conc. Chalced. c. 6. vid. dist. 70. c. 1.: „Nemo ordinandus est absolute.“ c. 2. Irrita fit ordinatio sine titulo facta.“

Cf. Bern. Van Espen jus eccl. univers. Colon. Agripp. 1729. tom. I. P. II. tit. 9. de sacramento ordinis. cap. 6.: „Ordinari sine titulo, erat ordinari sine adscriptione alicui ecclesiae.“

rat, pro re nata nunc non seniores tantum, verum juniores etiam ad sacra munia peragenda promoveri? Quodsi autem in re ipsa aliquid discriminis inest; cur illud verbis exprimere prohibeamur [1])?

b) Secundo loco ex analogia: In re civili ac militari designationem (Rechtsfähigkeit), qua quis muneri alicui publico sustinendo habilis declaretur, ab ipsius muneris functione differre, nemo est, quem lateat [2]). Quid? quod ei, qui ad amplissimos in s. theologia, in utroque jure, vel in medicina honores adscendit, locus quidam opportunus, ubi de rebus sacris declamare, causas agere, aut in morbis curandis versari possit, a summo magistratu adsignari debet.

Nunc jam eadem est ratio illius, qui sacramento ordinis initiatur. Etenim rite ordinatus ea, quae Pontificale Romanum summatim exhibet, negotia praeclare gerendi ac-

1) Hinc recte aliquis jurisdictione privari potest, quin ordine simul privetur. Atque optimo jure statuere potuit Conc. Trident. ea, quae sess. XIV. cap. 7. ab init. et sess. XXIII. cap. 15. de reform. studiose leguntur.

2) „Wie sich ungefähr ein Justiz- oder Kriegsrath, qui titulum tantum gerit, von einem wirklichen Justiz- oder Kriegsrathe unterscheidet.“

cipit potestatem; qua vero ut legitime uti queat, requiritur peculiaris sui ipsius missio, sive stationis adsignatio, i. e. jurisdictio. — —

Praeterea utraque, ordinis aeque ac jurisdictionis, hierarchia, spectata origine, institutionis vel divinae, vel humanae esse censetur. Priori quidem adnumerantur: episcopi (iique κατ' ἐξοχὴν), presbyteri atque diaconi; posteriori: ceteri ecclesiae tum ministri, tum rectores, quibuscunque nominibus insigniti, quacunque potestate praediti [1]). Quae omnis hierarchiae ecclesiasticae notio ac divisio in eo potissimum nititur, quod, juxta sanam Catholicorum doctrinam, divinus religionis christianae auctor ipsemet docentes a discentibus, clericos a laicis haud insipienter distinxisse videatur. Cf. Matth. XXVIII, 19.; Joan. XX, 22.; Act. VII. 6.; I. Corinth. XII, 28. [2]).

---

1) I. V. Eybel in adumbrat. studii jurisprud. eccl. Vien. 1774. tom. II. c. IV. §. 76. de clericis minorum ordinum; §. 79. seq. de Patriarchis, Primatibus et Metropolitis; §. 85. de reliquis hierarch. eccl. personis, officio aut dignitate aliqua fulgentibus.

Cf. cl. M. Pelka: jur. eccl. analys. P. I.

2) Petr. de Marca dissert. 9na de discrimine clericorum et laicorum ex jure divino, et de forma regiminis a Christo instituta in ecclesia. —

Ceterum hierarchia, divinitus atque humanitus instituta

§. 2.

Adseritur hierarchia quaedam in ecclesia catholica.

Quemadmodum in re publica bene ordinata, ita in ecclesia quoque nonnullos prae ceteris principatum quendam obtinere posse, atque inde ab illius incunabulis revera obtinuisse, pauci sunt, qui infitias eant. Suadet unum sana hominis ratio; docet alterum accurata rerum gestarum cognitio [1]). At, qualis sit sacer iste principatus, varium est. Eos enim, qui omne clericos inter ac laicos discrimen e medio sustulerint, solius ordinis causa docentes ab audientibus discernere, variosque docentium gradus statuere, inter omnes satis constat [2]).

plerumque cum perfecto quodam opere ὡρολογικῷ comparari solet. Neque inepte illud quidem.

1) Euseb. Amort in demonstrat. critic. relig. cathol. Venet. 1744. p. 6. ita concludit: „Ad fines praestabilitos a Deo melius servit ordo hierarchicus, quam potestatis et auctoritatis generalis confusio. Ergo decet, ut potestas consecrandi eucharistiam, absolvendi a peccatis, ordinandi sacerdotes, et auctoritas regiminis conferatur non omnibus, sed determinatis, in quibus electa censeri possit industria et idoneitas personae."

2) Jo. Fr. Buddeus in isagoge historico-theologica ad theol. univ. Lips. 1730 lib. post. c. v. p. 739. „Discrimen aliquod in ecclesia inter docentes et auditores or-

Jam vero in ecclesia talem, qualem modo adumbravimus, tam ordinis quam jurisdictionis esse praestantiam, nostrates ut ostendant, varias ineunt vias. Alter hierarchiam, ex s. scriptura, traditione et perpetuo ecclesiae usu probatam, Conc. Trid. sess. XXIII. canone sexto superaddito, nonnisi confirmare sibi videtur. Alter, via quam brevissima incedens, hunc canonem, quo ecclesiae universae fides continetur, absolute ponit, causamque dictam esse putat.

Nobis autem, rationum momenta cum auctoritatibus conjungendo, Concilii Tridentini verbis insistere, eaque paucis illustrare lubet. Quae quidem ita sonant: „Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam, divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit." Quapropter de sola hierarchia divinitus

dinis causa admittendum esse, illorum iterum certas constitui posse classes, positum apud omnes est extra controversiam. Nec tamen hoc discrimen ultra, quam par est, extendendum, ut docentibus plus, et auditoribus minus, quam decet, tribuatur."

Georg. Lud. Böhmer: princip. jur. canon. Gotting. 1785. lib. 1. tit. 3. §. 85. „Ratione ordinis in ecclesia Evangelica Germanica nullum est clericorum discrimen. Servatur tamen inter clericos discrimen a qualitate officii sacri, ejusque subordinatione."

instituta disputaturi, hoc veluti praecipuum ad demonstrandum nobis sumimus, quod in ecclesia catholica, divina institutione introducti, exsistant episcopi, presbyteri et diaconi, quodque uni alteris quoad ordinem ac jurisdictionem sint superiores. Id quod nostro quidem judicio, postquam de singulorum ordinum origine atque officiis presse egerimus, consectariorum instar sua sponte redundabit [1]).

§. 3.

Constat haec hierarchia 1.) ex episcopis.

Primum in hierarchia ecclesiastica locum tenent *ἐπίσκοποι*, alias etiam apostoli, apostolorum successores, pontifices maximi, summi sacerdotes, principes sacerdotum, patres, praepositi, imo vicarii Christi et angeli ecclesiarum dicti. Unde episcopatus ipsemet reliquorum ordinum fons et origo, presbyterium

---

1) A Petavio, Thomassino, Ant. de Dominis, Van Espenio amplius dicta, brevius dixerunt: Hedderich, Schenkl, Gmeiner, Rechberger, Gambsjaeger aliique.

Cf. Hierarchiae in eccl. christ. oeconomia, modus et ratio; delineavit Fr. Oberthür. Sulzb. 1821.

consummatum, vel sacerdotii apex nuncupatus, atque cum onere, humeris angelicis formidando, comparatus est [1]).

1.) Jam principio, originem quidem diligenter investigaturis, episcopos, apostolorum successores, a Deo potestatem suam accepisse, dubium esse non potest.

Leguntur enim Apostoli ad sacrum ministerium a Christo ipso vocati. Luc. VI, 13. Dicuntur a Spiritu S. positi. Act. XX, 28. Appellat se Paulus apostolum, non ab hominibus, sed a Jesu Christo electum. Gal. I, 1. cf. I. Corinth. I, 1.

Nunc vero ea est successionis ratio, ut, qui aliis succedunt, eadem, qua decessores pollebant, gaudeant potestate. Atqui Apostoli potestatem suam nulli homini, sed Christo ipsi, qui cum Patre unum est, acceptam retulerunt; ergo et ii, quos sibi in docendi ecclesiamque regendi munere constituerunt

---

1) F. A. Frey l. c. II. Th. Personenrecht §. 193. „Die Völle des Priesterthums besteht eigentlich in dem Episcopate. Der Supremat des Papstes ist das eine, das eigentliche Priesterthum das andere Extrem, in dessen Mittelpunkte sich der Episcopat, als nach beiden Extremen wirkend, und beide in sich vereinigend, befindet."

Cf. Cyprian de unitat. eccles.: „Episcopatus unus est, cujus singuli in solidum partem tenent."

successores, divinitus instituti recte existimantur [1]).

Neque alia fuit veterum ecclesiae Patrum: S. Clementis Rom., Ignatii, Irenaei, Cypriani aliorumque hac de re sententia. Nam si episcopus Romanus jure divino in locum b. Petri succedere putatur; quidni ceteri episcopi eodem jure in reliquorum apostolorum locum [2]).

Formulam autem: „Dei et sedis apostolicae gratia episcopus," medio demum aevo compositam, qua grato animo perfusos, atque cum sede Apostolica intime conjunctos se praebuerint episcopi, non est, quod pluribus commemoremus [3]). —

---

1) Cf. G. Zallwein l. c. quaest. II. c. 2. §. 8.: „Num alia fuit Petri vocatio, alia aliorum apostolorum? aliud discrimen inter collationem potestatis Petro et ceteris Apostolis factae, nisi quod Christus Petro in singulari, ceteris vero Apostolis in communi suam potestatem communicaverit?"

2) Ludov. Thomassini vetus et nova ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios. Parisiis 1691. P. I., lib. I., c. 50: „Episcopi origine et institutione prorsus divina fulgent, tum quoad ordinem, tum quoad jurisdictionem; quippe vicarii Christi sunt in sua quisque dioecesi et apostolorum successores. „Id quod probat ex testimoniis Leonis Papae, Optati Milevit., Hieron., S. Pacian., Cypr., August., item Origen., Basil., Firmil., et Theodoret.

3) Der Katholik, Febr. 1823: „Dei gratia: womit

2.) Deinde, ad episcoporum munera ut progrediamur, duo potissimum sunt eorum genera: Unum, quod iidem cum presbyteris communicare poterant; alterum, quod sibi solis reservare solebant. Atque illud quidem cernebatur in verbi divini praedicatione ac baptismi administratione, (Matth. XXVIII, 19.; Marc. XVI, 15.) in remittendis peccatis et in s. eucharistia distribuenda [1]). (Joan. XX, 21.; Luc. XXII, 19.) Hoc vero praeterquam, quod episcopi, sive dispersi, sive in Conciliis congregati, ecclesiam Dei regendam gubernandamve habuerint, (Act. XX, 28.; cf. XV, 28.) in peculiari baptizatos confirmandi, ac praecipue clericos ordinandi facultate versabatur [2]).

---

jetzt die Gewalt von Innen, die geistliche Gerichtsbarkeit und erhabene Würde bezeichnet wird; apostolicae sedis gratia: weil nur im Papste die bischöfliche Gewalt ihre Fülle, Authenticität, von Aussen erhält."

1) Claud. Fleury in institut. jur. eccles. Mogunt. 1759. P. I. c. 12. ad functiones episcopi interiores refert: praedicationem, orationem et sacramentorum administrationem; cap. 13. ad exteriores: jurisdictionem et curam tum personarum, tum bonorum ecclesiasticorum.

2) Van Espen j. e. u. P. I. tit. 16. de cura episcopali, c. 4: „Cura et regimen totius dioecesis primario et principaliter incumbit ipsi episcopo." P. II. tit. 9. de sacramento ordinis, c. 2: „A quo ordines recipiendi."

(Act. VIII, 15.; XIV, 22.; I. Timoth. IV.; II. Timoth I, 6.) Quod presbyteris ad summum hac in re conveniebat, hoc erat, ut una cum episcopo consecrante presbytero consecrando manus imponerent. —

Suffragatur S. Scripturarum oraculis veterum traditio. Episcopos enim per se ipsos docendi munus praeclare atque egregie obiisse, ita, ut, iis praesentibus, presbyteris concionari haud liceret, vel ex eo sequitur: quod fuerint, qui, cum Valerius episcopus S. Augustino verbi divini praedicandi copiam fecisset, ne illius quidem famae parcendum putarent [1]).

---

1) Cf. Act. c. VI.; I. Corinth. I., 18. Vid. Conc. Trid. sess. V. c. 2. sess. XXIV., c. 4. de reform.

Quanquam saepe viros, viribus jam senescentes, ad dignitatem episcopalem pervenire, ac per dioecesium amplitudinem infinitis fere laboribus implicari haud ignoramus; tamen non possumus non optare, ut, ad cl. decessorum exemplar, hoc gravissimum officii studiique munus non prorsus praetermittant, aliisque, ad erudiendum populum quantumvis idoneis, ne nimium cedant. Nam pauca verba, e corde fluentia, experientia teste, interdum sufficiunt ad titubantem erigendum, erectumque confirmandum.

Hinc novissime Leo XII. epist. encycl. ad Patriarch. Prim. Archiepis. et Episc.: „Ipsismet enim, non ministris, gregum suorum cura concredita est, ipsis peculiaris Spiritus S. gratia, ipsis et charismatum dona fuere promissa. Ex

De baptizandi sacramque coenam dispensandi officio ita S. Ignatius epist. ad Smyrn. c. 8.: „Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare, sed quodcunque ille probaverit, hoc èt Deo est beneplacitum [1]).

De baptizatorum confirmatione Hieronym. advers. Lucifer.: „In ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipit Spiritum S.

Et Tertullian de baptis. c. 17.: „Baptizandi jus quidem habet summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est." —

Quod autem ordinandi potestatem adtinet, celeberrimum illud exstat S. Hieronymi presbyteri (epist. 85. ad Evangel.) testimonium: „Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?"

---

quo fit, ut oves proprii pastoris multo libentius, quam vicarii vocem audiant, et a proprii pastoris, quam a vicarii manu salubria alimenta fiducialius petant."

1) In ponendis S. Patrum verbis partim obviis eorundem operum editionibus, partim maxima bibliotheca veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, usus sum.

Cui rei consentanea habet S. Chrysostom. hom. 11. in I. Timoth. III, 8.: „Inter episcopum et presbyterum interest ferme nihil. Quippe et presbyteris munus docendi et ecclesiae cura permissa est, et quae de episcopis dixit Paulus, ea etiam presbyteris congruunt; sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus, quam presbyteri habere videntur."

Et Epiphan. haer. 75.: „Si quidem ordo episcoporum ad gignendos patres praecipue pertinet. Hujus enim est patrum in ecclesia propagatio. Alter (presbyterorum), cum patres non possit, filios ecclesiae regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros." —

Idem Conciliorum canones, idem perpetua ecclesiae πρᾶξις prae se ferunt. Quam canon. apost. 1. hisce verbis refert: „Episcopus a duobus aut tribus episcopis ordinetur." Can. 2.: „Presbyter ab uno episcopo ordinetur, item diaconus et reliqui clerici." Hinc recte dixit Eugenius IV. in instruct. Armenorum: „Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus." Similiter Conc. Trid. sess. XXIII, c. 4.

Insuper ordinationem, a presbyteris per-

actam, nullam atque irritam esse, inde patet, quod synodus Alexandrina Ischyram, a Colluth o, simplici sacerdote ordinatum, munere suo privaverit, quodque Concilium Sardicense presbyteros, a falsis episcopis Eutychiano et Musaeo sacris ordinibus initiatos, de gradu dejecerit. —

Nec valent quidquam a nobis dissidentium argumenta, partim a presbyterorum, (I. Timoth. IV, 14. μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου) partim a chor- et pseudo-episcoporum ordinatione petita.

Nam presbyterii nomine episcopos etiam venire, probabilis auctor est S. Chrysost., Theophilact. al. Dein, chor-episcopos omnes tantummodo presbyteros fuisse, aeque incertum videtur, quam quod singuli sine peculiari episcopi urbani venia diaconos aut presbyteros sacramento ordinis inaugurarint [1]). Cf. Conc. Ancyran. canon. Quis vero nostrum dubitat, quin pseudo-episcopi, altissimum illum dignitatis gradum haud legitime consecuti, prout episcopi, alios nihilominus

1) Joan. Morini commentarius de sacris ecclesiae ordinationibus. Antwerp. 1695. P. III. exercit. 4.: de chor-episcopis, eorum origine, officiis et duratione.

ritu solenni in clericorum ordinem recipere potuerint? Verbo: alias officii sui partes episcopos presbyteris delegasse, legimus; ordinandi potestatem delegasse non legimus [1]). —

At, quod unus habet, id alteri commode dare potest. Concedimus. Ergo presbyteri et ipsi presbyteros creare possunt [2]). Negamus. Quare? Quia obstat S. Scripturae, obstat S. Patrum, obstat denique universae ecclesiae auctoritas. Ad quod accedit argumentum, ex rei natura desumtum, idque haud ultimo loco ponendum. Age, finge, quemvis presbyterum ad libitum alios sacerdotio vestire posse; qualis inde rerum confusio atque perturbatio? Nonne, ut ubique, ita hîc quoque locum habet, et habere debet Homericum illud: „Εἷς κοίρανος ἔστω?“

1) Prolixe de officiis episcoporum, tanquam distinctis a presbyterorum negotiis disserit Jos. Bingham l. c. vol. I. lib. II. c. 3.; et de illorum officiis intuitu totius ecclesiae catholicae. lib. II. c. 5.

2) Ita inprimis ii, qui episcopatum a sacerdotio distinctum ordinem esse negant. Praeter alios I. Morinus P. III. exercit. 4. c. 3. recenset multos auctores antiquos et recentiores, qui docuerunt, simplicem presbyterum delegatione Pontificis posse diaconos et presbyteros ordinare. Morino ipsi c. 4. necessarium videtur concedere ecclesiastico jure presbyterorum ordinationem, non modo diaconorum delegari posse non qui-

§. 4.

2.) ex presbyteris.

Episcopos, sacrorum antistites, excipiunt πρεσβύτεροι sive seniores, quod nomen, ad illos interdum translatum, juxta S. Hieronymum non solum aetatis, sed etiam dignitatis ac meritorum est indicium. Nam S. Petrus ipse se συμπρεσβύτερον appellat. I. Petr. V, 1. Hinc eadem fere presbyterorum, quae senatorum apud Romanos, ratio [1]).

1.) Ac primum quidem, presbyteros eandem cum episcopis a Christo traxisse origi-nem, quanquam ab initio utrosque omnibus in locis simul reperire vix liceat, extra omnem dubitationem positum est.

Dicitur enim Jesus praeter duodecim Apostolos alios 72 discipulos sibi elegisse, (Luc. X.) iisque peccata et remittendi et retinendi potestatem fecisse. (Joan. XX, 22.) Legimus presbyteros ab Apostolis rite et ordine voca-

---

dem simplici presbytero, sed presbytero, chor-episcopatus dignitate ornato.

1) Cui rei convenienter Conc. Trid. sess. XXIII. de reform. c. 12: „Sciant episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit."

tos, (II. Timoth. I.) et in singulis civitatibus ab iisdem constitutos. (Act. XIV, 23.)

Unde ita argumentantur Catholicorum ritibus initiati: Quemadmodum Apostolorum principi R. Pontifex, et ceteri episcopi reliquis apostolis; ita 72 discipulis recte succedunt presbyteri, ab hominum multitudine pariter segregati [1]).

2.) Dein vero, pleraque presbyteris cum episcopis, in quorum salutare et consilium et auxilium hi assumebantur, haud dissentientibus communia fuisse officia, paulo ante exposuimus. Namque recens edoctos baptizabant, s. eucharistiam christianum nomen professis administrabant, poenitentes Deo reconciliatos in ecclesiae gremium recipiebant, extremam unctionem vehementer diuque aegrotantibus impertiebant, quin etiam temporis progressu, non tamen superiorum injussu, per muneris necessitatem baptizatos inter-

---

1) August. Barbosae jus eccl. univ. Lugdun. 1677. lib. 1. c. 34. de presbyteris n. 7.: „Ordo seu gradus sacerdotum fuit institutus a Christo Domino, et designatus in 72 discipulis."

Melchior Canus locor. theolog. Colon. Agripp. 1574. lib. 12. p. 420.: „Quemadmodum igitur, qui Apostolos audiebat, is Christum audiebat; ita etiam, quos Apostoli vocabant, hos vocabat Christus."

dum confirmabant. Eos igitur jurisdictione interna, non item externa gavisos esse, quisque facile percipit. Quas quidem functiones Pontificale Romanum his verbis arcte complectitur: »Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare [1]). —

At, quamvis presbyteri istis in rebus ab episcoporum nutu atque arbitrio maximopere pendebant, hi tamen, et extra concilia ver-

---

1) Latius eas persequitur Van Espen j. e. P. I. lib. I. de clericis. cap. 3. de subdiaconis, diaconis et presbyteris. a) offerre, quo nomine oblatio sacrificii missae intelligitur; b) benedicere, dum, praescriptis precibus, rebus quibusdam benedictionem publicam impertitur; c) praeesse significat presbyterorum in conventu publico praesidentiam; d) praedicare, instructionem populi exprimit; e) baptizare, sacramentorum administrationem indicare videtur.

Cf. cl. Sim. Sobiech compend. theol. moral. Vratisl. 1806. P. II. p. 444.: „Presbyteratus est ordo major, quo confertur potestas consecrandi panem in corpus, et vinum in sanguinem Christi, et potestas remittendi et retinendi peccata, seu potestas in corpus Christi verum et mysticum."

De presbyterorum vero principibus, seu archipresbyteris, qui aliis et aetate, et doctrina, et virtute antecedunt, antecedere certe debent, adeas velim I. Morinum l. c. P. III. exerc. 16. c. 2.

santes, et in conciliis congregati, illorum fidele consilium, ut par erat, haud aspernabantur. Unde evenit, ut, monente S. Paulo (I. Timoth. V, 17.), sacerdotum ordo S. Ignatio, Chrys. Cypr. et Hieronymo corona presbyterii, synedrion episcoporum, cleri sacer venerandusque consessus ac senatus apostolicus diceretur, et dignitate inferioribus, omni honore affectis, una cum superioribus in interiore sacrario sedere liceret [1]). Ac, quis est, qui nesciat, episcopum, amantissimis divini magistri verbis (Joan. XV, 15.) utentem, sacris ordinibus insertos hodie quoque non servos, sed amicos operisque in vinea Domini consortes salutare solere? Idque haud praepostere. Nam qualis sine militibus dux, talis sine presbyteris episcopus. Alter alterius opera indiget. Imo etiam dioecesis aliqua (quod nunquam non mirifice dolendum), per breve tempus uno episcopo carere potest, multis

---

1) Testimonia quaedam S. Ignatii et Cypriani de potestate et praerogativis, quibus presbyteri una cum episcopo gaudebant, adducit l. Bingham l. c. lib. II. c. 19. §. 8.: „sive de ordinandis clericis, sive de exercenda disciplina ecclesiastica, sive de recipiendis poenitentibus ageretur."

Nobis quidem translatio illa, a rivo et flumine ducta, non plus aequo amplificanda videtur.

presbyteris, curam animarum agentibus, carere non potest. Hinc optimus ac beatissimus ille est praedicandus, qui a Deo O. M., beneficia officiis justissime remuneraturo, horum et diligentissimus et observantissimus reperietur, atque, sin minus in hierarchia terrestri, certe in coelesti pro singulari merito locum suum olim occupabit [1]). Luc. XIX, 16.; II. Timoth. IV, 8.

§. 5.

3.) ex diaconis.

Agmen claudunt διάκονοι sive ministri, levitarum in locum subrogati [2]). Quod diaco-

1) Nolumus S. Pontifices cum damno episcoporum, nolumus episcopos cum damno presbyterorum supra modum augere, extollere. Stet firmiter illud: „Suum cuique." Neque enim omnes episcopi, neque omnes presbyteri esse possumus. I. Corinth. XII. 29. Responde igitur, amice! pro virili parte muneri, a divina providentia tibi demandato, et, omni honore ac laude dignissimus, animi principatum obtinebis, exercebis. Jam majoribus nostris persuasum erat: „clericos moribus, non vestibus se distinguere debere."
Cf. Cl. Fleury l. c. P. I. c. 15.: „Ut episcopus tot functionibus vacare possit, aut exigui tractus dioecesi, aut magno ministrorum numero, qui ipsum sublevent, opus est. Prius antiquis, posterius nostris placuit temporibus."

2) Seb. Brendel, qui nonnullos adversarios nactus est, scribit in seinem Handbuche des kathol. und protest.

norum vocabulum apud scriptores tum sacros, tum profanos, latissime patet. Etenim in universum unusquisque, qualemcunque personam sustineat, minister vocari potest. Hinc Christus ipse, qui (Matth. XX, 28.), ut aliis ministraret, se mundum intrasse dicit, Rom. XV, 8. hac appellatione insignitur. Hinc Apostoli διάκονοι audiunt. I. Corinth. III, 5.; II. Cor. VI, 4. Hinc eorum successores, et prae ceteris Apostolorum principis successor (juxta Matth. XXIII, 11.) ob egregium aliis inserviendi studium, se servos, se servum servorum Dei appellant [1]). Strictiori autem sensu iis, qui et episcopis et presbyteris ministerium faciunt, dulce diaconorum nomen impositum est.

1.) Jam primo, quod ad institutionem adtinet, Graecorum murmur, in adhi-

---

Kirchenrechts. Bamberg 1823. §. 47: Hierbei (bei Einrichtung der Dinge) diente die jüdische Synagoge als Muster. Diese hatte einen Oberpriester, Aelteste und Gehülfen; daher entstanden ähnliche Einrichtungen, Bischöfe, Priester, Diakonen für die innere Leitung der Kirche.

1) Quid igitur nobis faciendum restat, nisi, ut, graviter admoniti, strenuos illos legum, qua dominos, qua servos, pro virium nostrarum imbecillitate ad imitandum nobis proponamus? — Fiat. Laudum aemuli, aemulemur etiam pia ipsorum studia!

benda pauperum curatione exortum, diaconis eligendis occasionem dedisse, Act. VI, 2. 3. hoc modo refertur: „*Οὐκ ἀρεστόν ἐστιν ἡμᾶς καταλείψαντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, διακονεῖν τραπέζαις. Ἐπισκέψασθε οὖν, ἀδελφοί, ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους ἑπτὰ, πλήρεις πνεύματος ἁγίου καὶ σοφίας, οὓς καταστήσομεν ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης.*“

Quos quidem etsi divinus religionis christianae auctor ipse non instituit; divino tamen instinctu ab Apostolis instituti sunt censendi. Quorsum scilicet praeclarae illae, quas S. Paulus I. Timoth. V, 3. in diaconis requirit, virtutes? quorsum Apostolorum precatio atque manuum impositio? quorsum denique praestantissima illa Spiritus S. dona, si ii, quos ministros nominamus, ministerio sacro destinati non fuerint [1])? Errant igitur, et quidem vehementer errant, qui, nonnullis S. Cypriani, Hieronymi et Chrysostomi locis, male intellectis, neque cum aliis eorundem S. Patrum testimoniis rite collatis, temere freti, diaconos, a sacris mysteriis alienos, cibos duntaxat ac potus ministrasse suspicantur [2]).

---

1) Barbosa l. c. lib. 1. c. 35. de diaconis n. 5.: „Diaconatus ordo non ab Apostolis, sed a Christo institutus fuit.“

2) Steph. Rauttenstrauch instit. jur. eccl. Germaniae ac

2.) Nam, ut deinde horum officia paucis perstringamus, praeter mensae profanae ministerium, sacram etiam, dona plebis recipiendo eaque sacerdoti offerendo, diligenter curabant, ac consecrata panis et vini elementa tum praesentibus, tum absentibus officiose distribuebant[1]). Pari modo, S. Stephani (Act. VI. et VII.) vestigiis ingredientes, episcopo tamen haud renuente, evangelium populo adnuntiabant, eumque praecipua fidei capita edocebant. Neque minus, praeeunte S. Philippo (Act. VIII, 12.), data ab episcopo licentia, propter clericorum penuriam, solenniter baptizabant. Praeterea ejusdem ordinis cives in vitam moresque Christianorum inquirebant, horum facinora ad episcopum referebant, et, ubi commode fieri poterat, in vitium lapsos ii ipsi corrigebant[2]). Quibus tandem functionibus inde ab ecclesiae origine omnia ordinum inferiorum, quorum posthac in veterum monumentis fit mentio, in cumulum accesserunt colenda officia, etsi nondum

comod. Pragae 1772. tom. I. §. 105.: „An diaconi divinae sint institutionis." §. 106.: „Argumenta negantium refelluntur."

1) Ignat. epist. ad Trall.: „Non ciborum et potuum, sed ecclesiae Dei ministri sunt."

2) Cf. Constit. Apostol. lib. II. c. 57. Venet. 1563.

sat definita. Quae quidem Pontificale Romanum breviter simpliciterque his verbis refert: »Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare [1]).«

Quapropter, cum diaconi in ecclesia haud minus, quam extra ecclesiam, communi Christi cultorum saluti pro sua parte consulerent; mirandum non est, si iidem cum quadam excellentia episcoporum ministri, si episcoporum oculi, os et aures, dextra et cor, si episcoporum angeli et prophetae sint dicti. Illos vero hodie, disciplina ecclesiastica valde mutata, cum plerumque altiorem dignitatis gradum consequi nitantur, praeter ministerium altaris, verbique divini praedicationem, vulgo nullum aliud exsequi publicum offi-

---

1) Jo. Morinus l. c. P. III. exerc. 9. c. 3. diaconorum officia ex S. Patribus enarrat. „Varia insuper et multiplicia erant diaconorum officia in sacris ordinationibus, in baptismis solennibus antiquorum, in consecratione chrysmatis, atque, ut ita dicam, in omnibus prorsus officiis ecclesiaticis."

Cf. I. Bingham l. c. vol. 1. lib. II. c. 20. §. 4-13. De cardinalibus autem episcopis, presbyteris et diaconis, de diaconis primariis seu archidiaconis, deque inferioribus clericorum ordinibus, quos adaucta ecclesiae vel utilitas, vel necessitas expetebat, copiose et abundanter dicere, instituti nostri ratio prohibet.

cium, nemo nostrum ignorat [1]). Haec de diaconis.

§. 6.

Atqui inter episcopos eminet Rom. Pontifex.

Quamquam episcopi, apostolorum successores, pari omnes gregem sibi commissum docendi regendique potestate sunt praediti; nihil tamen obstat, quo minus, uti Petrus inter Apostolos, ita inter episcopos unus longe excellat. Atque hic quidem est episcopus seu Pontifex Romanus. —

Quod S. Petrus Apostolorum princeps exstiterit, quod principali ecclesiae Romanae praefuerit, quod denique Rom. episcopi, eadem auctoritate donati, in illius locum successerint, tam multis tamque luculentis et S. Scripturarum, et S. Patrum, et veterum historicorum testimoniis comprobatum est, ut, in rem perspicuam atque Catholicorum nemini

1) Van Espen l. c. P. I. tit. 1. de clericis c. 3. n. 12.: „Multum collapsa moderna disciplina circa diaconorum officia, — ita ut tandem eo deventum sit, ut ordinatio diaconorum fieri non soleat, ut habeantur, qui diaconorum officia obeant, sed ut per diaconatum, tanquam gradum, ad presbyteratum ascendatur."

suspectam si quid addere vellemus, nihil aliud nobis agere videremur, nisi cum Horatio: ligna in silvam ferre, vel cum Ovidio: aquas in mare fundere, vel cum Terentio: mortuis verba facere[1]). Vix spicilegium aliquod in campo vastissimo post factam frugiferam

---

1) Melchior Canus loc. theol. lib. VI. c. 3. propos. 1.: „Petrum Apostolum fuisse a Christo institutum pastorem ecclesiae universae." propos. 3.: „Petro defuncto, divino jure esse, qui illi succedat in eadem auctoritate et potestate." Nam, cum oves Christi essent ad consummationem saeculi futurae, desipiet profecto, qui Christum existimabit, ovili perpetuo pastorem temporarium suffecisse. Quod igitur Dominus instituendo pastorale ecclesiae munus primo pastori contulit, id ordinarie cuilibet successori intelligitur contulisse. — Alioqui, si Petri potestas ad posteros non est translata, ne ceterorum quidem Apostolorum potestatem ad succedentes episcopos transmissam agnoscemus."

Lud. Ellies du Pin de antiqua ecclesiae disciplina. Col. Agripp. 1691. dissert. IV. quaest. 1.: „de primatu S. Petri inter apostolos, et quaest. 2.: de primatu ecclesiae Romanae inter ecclesias ceteras, et consequenter de praerogativis episcopi hujus urbis inter ceteros."

Ceterum, (nam res saepe offensam habet,) non possum me tenere, quin adscribam memorabilia illa cl. Muratorii verba de ingenior. moderat. lib. I. c. 13.: „Auctoritatem esse rem omnium delicatissimam, satis compertum est. Hinc illud fere semper accidit incommodi, ut, qui ipsam pertractare volunt, non solum obtrectationibus contraria sentientium, sed etiam suspicionibus et odiis eorum sint obnoxii, de quorum auctoritate est sermo." Vae sapientum octavo!

messem relictum videtur. Hinc praeclara S. Petri cathedra, super firmam petram fundata, a tot tantisque hostibus tam internis quam externis oppugnata, nunquam vero expugnata, ancipiti ac studiosa disputatione minime indiget.

1.) Etenim sanctissimum religionis nostrae auctorem b. Petro primatum quendam promisisse, promissumque post gloriosam resurrectionem revera contulisse, legitur, ne aliis S. S. locis lecturos obtundamus, Matth. XVI, 18. 19. et Joan. XXI, 15. Cf. Act. I, 15. seq. II, 14.; IV, 1.; IX, 32.; XV, 6. seq. Quibus quidem in verbis pervulgatissimis, licet a diversis interpretibus varias in partes sint accepta, tamen non solum singularem honoris, verum etiam jurisdictionis principatum inesse, nostrum quisque, solidiori doctrina imbutus, ultro profitetur [1]).

2.) Apostolum autem primarium Romae episcopum sedisse, ibique, cruciatibus affectum, mortem occubuisse, quis est, qui in dubium revocet? Tuentur hanc sententiam Catholici, Patrum apostolicorum, testium gra-

---

1) Maldonati, Calmeti aliorumque non vafrorum interpretum commentar. ad h. l.
Cf. Kistemaker's exeget. Abhandl.

vissimorum, documentis innixi, ad unum omnes; tuentur eandem, cum facta satis roborata negari nequeant, Evangelicorum multi, iique vix aspernandi. Quare historiam dolasse permultis videtur ille, qui rerum gestarum monumentis eam, quam viri haud creduli omni tempore adjunxerunt, fidem temere derogat [1]).

3.) Jam vero episcopos Romanos, veluti S. Petri successores, cum iisdem muneribus eadem jura exercuisse, atque, paulatim magno incremento aucta, adhuc exercere, et ratione et historia compertum est. Firmat successionis rationem possessionis vetustas. Aut, numquid primatum, re quidem ipsa agnitum, sinistris interpretationibus frustra concutere vis? Absit [2]). Quod igitur Apostolorum principis successor sententiae suae principatum

1) Lutherum Wittenbergae, Zwinglium Tiguri, Calvinum Genevae vixisse, nemo dubitat; S. Petrum Romae vixisse, post multorum saeculorum decursum addubitatur?!

Cf. Natal. Alexander hist. eccl. tom. III. Paris. 1730. diss. IV. p. 90.: de S. Petri et Rom. Pontificum primatu.

F. L. Grafen zu Stolberg Geschichte der Religion Jesu. B. X. Beil. IV.: über den Primat des Apostel Petrus.

2) L. Doller: Zeugnisse aus allen christlichen Jahrhunderten bis auf das Jahr 1815 für die Gewalt der Kirche und ihres Oberhauptes. Frankf. 1816.

teneat, a divina, quod successor sit episcopus Romanus, ab humana institutione proficiscitur [1]).

Quem locum, uberrime excultum, gravioribus verbis pertexere, longum foret. Quocirca, quum limites, dissertationi nostrae positi, non permittant, ut de Rom. Pontificum primatu ex instituto disseramus; eundem, cum Conc. Trid. Patribus, utpote probatum, nullique dubio obnoxium supponendo, breves esse possumus. Nullum enim canonem, ad normam Concilii Florentini, illius synodi decretis insertum deprehendimus, quanquam alibi, ut sess. XIV. c. 7., suprema potestas, Pontificibus Max. in ecclesia universa tradita, non solum significatur, sed etiam declaratur [2]). Id

1) Quod inter Evangelicos et rerum gestarum et juris ecclesiastici periti, quales sunt: Mosheim, Walch, Schröckh, Böhmer, Schnaubert, Wiese, S. Pontificem solum urbis Romae episcopum gloriose appellent, eique cum Melanchthone ad summum jure humano primatum, colore divini vicariatus firmatum, tribuere velint, omnibus satis notum est. Quum autem juxta Buddeum nulla sit legitima potestas, nisi dirigente, consentiente, et approbante summo numine; eo ipso jus illud humanum in divinum quodammodo abire, facile est ad intelligendum.

2) Sforz. Pallavicini: istoria del concilio di Trento, in Roma 1657. lib. XIX. c. 12. refert, canonem: „Sia scomunicato, se alcuno dirà, che il b. Pietro per

quod fidei nostrae professio ita praecipit: »ut Rom. Pontificem, b. Petri, Apostolorum principis, successorem ac Jesu Christi Vicarium habeamus, seu, ut illum (cf. Catechism. Rom.) tanquam ecclesiae universae caput visibile veneremur.«

Ceterum systema, quod vocant, papale, an episcopale sequaris, ex nonnullorum sententia nihil ad rem; propterea, quod quisque, sive Italus, sive Gallus, sive Germanus, qui S. Pontifici non tantum honoris, verum jurisdictionis principatum et verbo et facto tribuit, recte sentire existimatur [1]).

---

istituzione di Cristo non sia stato il primo frà gli Apostoli, e suo Vicario in terra, — e che non sieno stati Padri, Pastori e Dottori di tutti i Cristiani, e che non sia stata loro data dal Signor nostro Giesù Cristo nel b. Pietro la piena potestà di pascere, reggere, e governare la chiesa universale.“ esse latum, non item perlatum.

1) Systema papale in eo praecipue cernitur, quod R. Pontifex sit ecclesiae universalis episcopus, quod plenitudo potestatis in hoc solo resideat, quodque ceteri episcopi nonnisi in partem sollicitudinis sint vocati. Ne multa: Ipse-caput, reliqui-membra. Jam quid membra sine capite? — Ita Bellarmin, Orsi, Rocaberti.

Systema autem episcopale in eo maxime conspicitur, quod episcopi potestatem suam proxime a Deo derivent, quod, in sua quisque dioecesi, eandem cum S. Pontifice et

Causam vero primatus si quaeris, juxta S. Irenaeum et Cyprianum, unitatis vinculi, quo clerici non secus ac laici cum sancta sede arctius jungantur, conservationem habe [1]).

solvendi et ligandi facultatem sibi vindicent, quod denique Papae, salvis duntaxat suis ipsorum juribus, supremam totius ecclesiae curam demandatam esse contendant. Quoad metaphoram, in pari dispar quidquam inesse, luce clarius est. Nam si ecclesia universa unico episcopo indigeret; pluribus apostolis nequaquam opus fuisset. Ita ex tempore Concil. Constant. et Basil. Gerson, de Hontheim, Gerbert.

Illud systema, quod Curialistarum est, in Italia potissimum atque Hispania excolitur. Nec mirum. Hoc, quod vulgo Jansenistarum perhibetur, Galliae inprimis originem debet, atque in Germania fautores invenit. Neque magis mirandum. — Ceterum non omnis fert omnia tellus. Viros, quales stant una ex parte: Lochstein, de Pradt, Llorente, Tamburini; altera ex parte: Geiger, de Maistre, de Afria, Devoti, literatissimo cuique nominasse sufficiat.

Quantum ad me, ego quidem, cum Italis et Gallis aliquamdiu familiariter versatus, et jurium cujusque acerrimus propugnator, S. Pontificibus haud minus quam episcopis, quod utrisque antiquitus convenit, id sine mora lubenti animo tribuo. Nam de Mastiaux et Frayssinous amici, de Werkmeister et Grégoire mihi amici, sed magis amica veritas. —

1) Exposition de la doctrine de l'église catholique sur les matières de controverse. par M. I. B. Bossuet. à Paris 1671. ch. 21.: „L'autorité de l'episcopat, qui établit l'unité dans les églises particulières, et la primauté du siége de S. Pierre, qui est le centre commun de toute l'unité catholique."

»Inter duodecim, ait S. Hieronymus lib. I. adv. Jovin., unus electus est, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio.« Unde jura illius primaria ea dicuntur, quae ad unitatem in ecclesia christiana servandam faciunt; secundaria, sine quibus ecclesiae unitas consistere potest [1]).

Sed qua supra, eadem ratione nunc impulsi, adversariorum quoque argumenta, cen-

---

Cf. Der Apologet des Catholicismus von D. Gratz. Mainz 1823. VII. Hft. p. 10: „Der Primat ist die fortdauernde Grundlage der Einheit. Man kann sich leicht vorstellen, dafs desselben wirksame Macht in den apostolischen Zeiten um so weniger bemerkbar hervortreten konnte, als man in jenen Zeiten auf das Kräftigste in der Einigkeit des Geistes beharrte."

Qui a Catholicorum sacris abhorrent, rejiciunt principia, adeoque etiam consequentias, quamvis unius summi episcopi loco, in suo quisque regno, plures constituere solent.

1) Etsi de jurium primatus essentialium notione inter omnes satis convenit; tamen de singulorum natura inter eosdem paululum discrepat. Venditant enim nonnulli pro primariis, quae alii aut secundaria aut controversa esse declarant. En paucis totum discrimen! Nostro quidem judicio pacta seu concordata principum cum R. Pontifice partim inita, partim ineunda, omnem litem, sive jam motam, sive in posterum movendam, via compendiaria componere videntur.

Cf. P. Oberhauser: specimen cultioris jurisprudentiae canonicae ad justas ideas divini primatus in Rom. eccles. evolvendas. Francof. et Lips. 1777.

ties prolata, millies refutata, quippè nulli fere inde sperandi sunt fructus, omni silentio praetermittenda ducimus. Adeat, qui vult, cl. Rocaberti bibliothecam maximam pontificiam; legat, cui animus est, opera, eandem tempore procedente subsecuta, e quibus nova bibliotheca, priori haud dissimilis, facili negotio institui posset.

§. 7.

Episcopi presbyteris superiores.

Episcopos presbyteris jure meritoque antecellere, patet 1) ex S. litteris, 2) ex S. Patrum traditione, 3) ex omnium saeculorum usu.

1.) Ex S. litteris. Conferunt huc ii S. S. loci, quorum §. 3. mentionem fecimus. Atqui gravioribus officiis jura plerumque potiora respondere, haud difficile est intellectu. Regunt enim, ut rem paucis complectamur, episcopi ecclesiam Dei. Act. XX, 28. — Sunt ordinarii presbyterorum judices. I. Timoth. V, 19. — Gaudent alios sacerdotio donandi facultate. Tit. I, 5. — Praestant igitur inter ceteros pleniori cum ordinis, tum jurisdictio-

nis potestate [1]). Quae quidem causa est, quod in Apocalypsi c. II. et III. ecclesiarum angelis, seu episcopis solis bene aut male administratam dioecesin vel laudi, vel vituperationi fuisse percipiamus.

2.) Ex S. Patrum, fidelissimorum traditionis custodum, testimoniis:

S. Clemens Rom. in epist. I. ad Corinth.: »Summo sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius adsignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur, unusquisque vestrum in suo ordine gratias Deo agat.«

S. Ignat. in epist. ad Magnes. c. 6.: »Hortor vos, ut sit studium vestrum, omnia in Dei concordia agendi: episcopo praesidente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis, mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi.« Idem in epist. ad Smyrn. c. 8.: »Omnes epi-

---

1) Dion. Petavius de eccl. hierarch. lib. 1. c. 1.: „Nam si unus idemque esset ordo episcopus et presbyter, et una utriusque forma et οὐσία ex institutione Christi; nefas esset aliter haec usurpare, atque ille constituisset. Non enim in potestate est hominum, immutare illa, quae ab Christo semel ordinata sunt, aut alio modo, quam ex ejus praescripto ac voluntate tractare."

scopum sequimini, ut Christus Patrem, presbyterorum collegium, ut Apostolos, diaconos, ut ex Dei praecepto ministrantes. Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant.«

S. Clemens Alex. stromat. lib. VI.: »Hic quoque in ecclesia sunt progressiones episcoporum, presbyterorum et diaconorum, imitationes, ut arbitror, gloriae angelicae et illius oeconomiae ac dispensationis, quam dicunt scripturae illos exspectare, qui insistentes vestigiis apostolorum, vixerunt in perfectione justitiae, convenienter evangelio.«

Origines homil. 2. in Jerem.: »Plus, inquit, a se exigi, quam a diaconis, ab his vero plus, quam a laicis, plus rursus ab iis, quibus et super diaconos et super presbyteros commissum est regimen et principatus ecclesiasticus.«

His simillima habent Tertull., Cyprian., Hieron. et August., qui sint instar omnium[1]).

---

1) De industria hos locos communes, quorum probandi vim ne Binghamus quidem ipse l. c. lib. II. c. 1. §. 2. infringit, secuti sumus.

Consule L. Thomassinum, qui, postquam l. c. P. I. lib. I. c. 51. totus in eo fuerat, ut ex Patribus graecis ostenderet, a Christo et Apostolis regale sacerdotium episcopis, presbyteris et diaconis initio

3.) Ex omnium saeculorum usu. Qui in eo potissimum cernitur, quod successionis episcoporum (cf. S. Iren. adv. haer. lib. III. c. 3.; Tertull. de praescript. c. 32.) peculiaris ratio habita, quodque in recensendo ordinum ecclesiasticorum numero, illorum ordo ubique priore loco positus est. Item episcopos, per orbem dispersos, vel in unum coactos, primas semper egisse, atque gravissima legum dandarum auctoritate praevaluisse invenies. Qualem eminentem animi amplitudinem, haud inflexam, auctor can. apost. 38. his verbis signat: »Presbyteri et diaconi absque voluntate episcopi nihil peragant; ipsius enim fidei populus Domini commissus est, et pro animabus ab ipso repetetur ratio.« Et constitut. apost. lib. II. c. 26.: »Qui episcopus est, hic princeps et dux vester.«

Quo factum est, ut, teste Epiphanio haeres. 75., Aërius presbyter, qui, episcopatus spe praecisa, episcopos cum presbyteris pares fecerat, jam saeculo IV. a republica ecclesiastica excluderetur. Id quod certe fieri

---

demandatum fuisse, c. 52. et 53. eorundem superiorum ordinum excellentiam et antiquitatem ex Patribus tum latinis, tum graecis, longa serie in aciem productis, firmare conatur.

non potuisset, nisi aliqua rei ratio fuisset. Neque enim credibile est, viros, summo religionis purae integraeque servandae studio ardentes, jam primis ecclesiae temporibus a primaeva institutione discedere voluisse, discedere potuisse. Haud probabile, inde ab ecclesiae origine unum alterumve duntaxat presbyterum, ceteris non refragantibus, sola consuetudine capta, talem principatum sibi vindicasse, qualem paulo post, in diversissimis terrae partibus, multis simul episcopis datum conspicimus. Omni demum verisimilitudine caret, presbyteros, si qui pari cum episcopis potestate gavisi essent, eadem se sponte sua abdicaturos, huicque abdicationi commune Christianorum inconsulte ac temere subscripturum fuisse. Hinc recte Conc. Trid. Patres sess. XXIII. canonem septimum condere potuerunt: »Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit [1]).« —

Quae autem Presbyteriani stabili nostrae

1) I. Morinus l. c. P. III. exercit. 3.: „De episcopatus a presbyteratu distinctione, et episcopi in presbyteros et universos clericos auctoritate."

sententiae ex S. Scriptura et traditione opponunt, huc fere redeunt [1]):

1.) Ex S. Scriptura. a) Quos Apostolus Paulus, Mileti degens, ad se arcessivit, Act. XXV, 17. presbyteros, et v. 28. episcopos nuncupat; ergo nulla inter utrosque discrepantia. —

Objectio ut dictu satis speciosa, ita ad probandum infirma! propterea, quod non ex singulis vocibus, sed ex perpetuitate atque constantia spectandi sunt s. scriptores. Etenim varia eorundem hominum appellatio varios et officiorum et dignitatum gradus non excludit. Dic, quaeso, nullumne discrimen inter eos, quos imperator nunc milites, nunc duces adloquitur? nullumne inter illos, quos summus academiae praefectus modo litterarum studiosos, modo professores salutat? Respondent alii: presbyterorum, ut papae voca-

1) Quibus contradictionibus, tritis satis ac pervulgatis, diutius immorari, neque hoc loco propositum, neque necessarium est. Nam pauci ab opinione, animo semel imbibita, se abduci facile patientur. Interim, quantum doctrinae, quibus aetas puerilis impertiri solet, posthac etiam valeant, quantum firma reipublicae et ecclesiasticae et civilis constitutio proficiat, conjectura hic optime perspicitur. Quid? quod ille, qui, ecclesiae Anglicanae adscriptus, in Anglia bene, in plerisque Germaniae partibus male sentire dicitur.

bulum (vid. Tit. I, 5. 7.; I. Petr. V, 1.) olim latius patuisse, tempore vero progrediente ejus ambitum circumscriptum esse. (Cf. nostrum: ein Geistlicher.) Alii cum S. Irenaeo adv. haer. lib. III. c. 3.: Non solum ab Epheso, verum etiam e finitimis civitatibus episcopos aeque ac presbyteros vocatos fuisse [1]).

b) Idem Apostolus, (Philipp. I, 1.) omissis presbyteris, episcopos et diaconos solos producit, horumque solennia officia (I. Timoth. III.) commemorat; ergo —.

Eadem opinionis levitas! Nam ex eo, quod initio, ob exiguum sub Christi signis militantium numerum, passim non omnes simul clericorum aetates et gradus deprehendimus, aut presbyteros pleraque munera cum episcopis communia habuisse animadvertimus, nequaquam sequitur, nullam omnino hos inter et illos intercessisse nullamque intercedere posse differentiam [2]).

---

1) Dion. Petavius l. c. lib. I. c. 2.: „Aliud est, episcopatum et presbyteratum in unam convenire personam; aliud, unicum esse ordinem. — Potest enim unus idemque diversos habere ordines; nec ideo unus ex ambobus fit ordo.“

2) Si Evangelicorum sacra sequentes cuique, sana mente praedito, plenam S. S. interpretandi dant libertatem;

2.) Ex traditione. Spectat huc prae ceteris vexatus ille S. Hieronymi locus, in comment. ad Tit. c. 1. obvius: »Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus ex presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur.«

In quo loco interpretando interpretes mirum quantum a se dissentiunt. Alii scilicet: S. Hieronymum, animi fervore abreptum, amplificationi rhetoricae indulsisse; alii: eundem, nudum presbyterum, cum Aërianis sensisse; alii denique: virum moderatum ad coërcendam sive episcoporum, sive diaconorum Romanorum superbiam talia proposuisse, judicant. — At nobis citata verba nullam difficultatem adferunt. Tantum enim abest, ut S. Pater presbyteros episcopis omni respectu

speramus, fore, ut nobis quoque, eodem jure utentibus, recte ac merito non succenseant.

aequiparet, ut potius sacerdotes constituendi potestatem (epist. 85. ad Evangel.) disertissime excipiat. Neque in eodem commentario, episcopos cum Moyse et Aarone haud absurde comparando, ampliorem quandam jurisdictionem illis abjudicare videtur. Aliàs, pugnantia locutus, a se ipse invitus defecisset [1]). — —

Quibus rite absolutis, quaeritur jam: quo jure episcopi dignitate et auctoritate presbyteros antecedant? divino, an humano? Quod divino, ex hactenus dictis satis redundare arbitramur. Cf. Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 4. Interim, cum ejusdem Concilii Patres can. 7. hisce verbis, utpote ingratas controversias facturis, de industria abstinuerint; quaestionem illam, otiosam nonnullis visam, quicunque episcopos presbyteris superiores agnoscit, in medio relinquere potest [2]).

1) D. Petavius l. c. lib. II., in quo Theodoreti, Chrysostomi, Hieronymi et aliorum Patrum sententiae ac testimonia de episcopo et presbytero declarantur, illustrantur, et ab Catharorum calumnia vindicantur. — De Hieronymo c. 5. haec dicit: „Hic S. Pater, qui episcopum et presbyterum eundum esse scripsit, solam externam in episcopo curationem potestatemque spectavit, h. e., administrandae ac gubernandae ecclesiae functionem, non ordinem et characterem.“

Cf. Mamachi orig. et antiquit. eccl. tom. IV. p. 483. seq.

2) Sf. Pallavicini l. c. lib. XIX. c. 6.

Ceterum, uti solam generis nobilitatem, ita merum episcopi titulum, nisi et exquisita doctrina et virtute spectata eluceat sacrorum antistes, alios movere, eosque pro imperii majestate in officio continere non posse, cuique vel obtusioris animi perspicuum est. Nam vere praeest, qui prodest. Quare nunc quoque, instauratis templis, valde exoptamus, (Trid. sess. XXV. cap. 1. de reform.) »ut ii, qui episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro gloria Dei vocatos esse intelligant.«

»Pastores ovium, pastorum ipsorum pastores sunto!«

§. 8.

Presbyteri diaconos antecedunt; ergo hierarchia quaedam.

Quo magis nostrates in id incumbunt, ut episcopos presbyteris superiores esse osten-

---

Eus. Amort l. c. p. 72.: „Si Acatholici velint hoc solum negare, superioritatem episcopi supra totum senatum presbyterorum esse juris divini, non recusabit ecclesia eos admittere in communionem fidei.“

dant, eo minus in eo versantur, ut presbyteros diaconis anteire demonstrent. Nam, quorsum haec, inquiunt, quae, haud controversa, nemo in dubium vocat? Diaconorum appellatione nondum contentus es? quid vis amplius? Quapropter et nos, illorum vestigia presse persequentes, non verbosos esse oportet. —

Jam vero presbyteros prae diaconis singulari gratia et auctoritate floruisse, docet 1) S. Scriptura, 2) traditio, et 3) omnium temporum usus.

1.) S. Scriptura. Postquam Christus 12 apostolos et 72 discipulos sibi elegerat, ad perficiendum opus immortale a Patre commissum; tum demum in diurnum eorum ministerium diaconos assumtos esse, Act. VI. memoriae proditum est. Atque novae duntaxat initiationis ritu, tempore defluente, sacrorum famulus in sacerdotium venit. Is autem, qui provehitur, a minori ad majus provehi solet. — Dein, quoad munera, ut episcopus clericos inaugurandi, ita presbyter sacram coenam parandi facultate excelluit. Facit huc canon ille: »Sacerdos oblata consecrat, diaconus consecrata dispensat, eaque non episcopo aut presbytero, sed

plebi tum praesenti, tum absenti.« Neque ministros vere poenitentibus peccata confessa concedere posse, persuasum fuit in ecclesia christiana. Etenim obscuriora et exilius dicta S. Cypriani verba plerique de exomologesi publica non accipiunt [1]). Distat igitur presbyter a diacono altiori ordinis aeque, ac jurisdictionis, saltem internae, gradu.

2.) Firmat dicta (vid. §. praeced.) venerabilis S. Patrum chorus, quorum nonnulli, proxime nominati, denuo in arenam descendant:

S. Ignat. ad Heronem: »Nihil sine episcopis agas; sacerdotes enim sunt, tu vero minister sacerdotum.«

S. Cyprian. lib. III. epist. 9. ad Rogatian.: »Meminisse diaconi debent, quoniam apostolos, i. e., episcopos et praepositos Dominus elegit. Diaconos autem post ascensum Domini in coelos Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et ecclesiae ministros.«

---

1) Cf. Caroli Blasci dissertatio, in qua ostenditur, diaconis nunquam fuisse permissum, ne quidem in casu summae necessitatis, administrare sacramentum poenitentiae, ubi difficillimus S. Cypriani textus dilucidatur. ed. A. J. Binterim. Mogunt. 1822.

S. Hieronym. epist. 85. ad Evangel: »Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, i. e. episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbyteros, quos et episcopos, quis patiatur, ut mensarum et viduarum minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?« .

Optat. Milevit. lib. I. advers. Parmen.: »Quid commemorem laicos? Quid plurimos ministros? Quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium episcopi.«

3.) Accedit denique omnium temporum usus, in eo potissimum conspicuus, quod, ubicunque nobis obviam fiunt diaconi, iidem et episcoporum et presbyterorum imperio subjecti reperiantur. Nam quid argumentamur? Tertio quoque loco ministrorum ordo numeratus est. Cf. Can. apost. 5. 6. 7. 8. Neque his, dum presbyteri una cum episcopo in aedibus sacris sedebant, sedere licuit. Cf. Const. apost. lib. II. c. 57. Atque, ut extra concilia, ita in conciliis etiam nonnisi iis, quibus a viro majori fungi jubebantur, functi sunt muneribus. Unde evenit, ut, cum, honore et

dignitate aucti et amplificati, ambitiosius se gessissent, ac presbyteris aequari, imo et praeferri studuissent, hac de re a Conciliorum Patribus graviter reprehenderentur: »Diaconi se presbyterorum non minus, quam episcoporum ministros esse meminerint; sacrificium non offerant, nihilque sine presbyterorum conscientia agere praesumant.« Quam primorum ecclesiae saeculorum consuetudinem Auctor constit. apost. lib. VIII. c. 28. ita refert: »Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem; accipit vero ab episcopo et presbytero. Non baptizat, non offert; oblatione vero ab episcopo aut presbytero facta ipse diaconus dat populo, non tanquam sacerdos, sed tanquam, qui ministrat sacerdotibus [1]).« — —

Sed haec hactenus. Quibus ex dictis ita argumentari licet: Hierarchia nihil aliud est, nisi sacer principatus, secundum diversos

---

1) Cf. distinct. 93., c. 5.: „Minores majoribus obedientiam exhibeant.“ c. 14.: „Inferiores presbyteris se diaconi agnoscant.“ c. 17.: „Sicut episcopis, ita et presbyteris diaconi ministrent.“

Adi L. Thomassinum l. c. P. I. lib. 2. c. 29. de diaconis per 5 priora ecclesiae saecula; c. 33. de diaconis et subdiaconis et aliis ordinibus minoribus, extrema hac ecclesiae aetate post annum Christi millesimum.

tam officiorum, quam jurium gradus tenuiter distinctus. Atqui in ecclesia catholica episcopos, presbyteros ac diaconos, etsi eadem divina institutione, tamen non iisdem officiis juribusque gaudere, hincque alteros alteris, sive spectetur ordo, sive jurisdictio, superiores exsistere, paucis demonstravimus; ergo est hierarchia quaedam. —

§. 9.

Est ecclesiae utilis.

Haec fere habuimus, quae, indicata potius, quam fusius explicata, de hierarchia diceremus. At, quorsum haec? inquis. Tantum abest, ut hierarchicum aedificium fortiter destruamus, ut id potius pro viribus exstruere nitamur? An fortasse, mente capti, nescimus, idem summopere rimosum ac ruinosum, et ecclesiae et rei publicae perniciem atque interitum non solum minari, sed re ipsa adferre? Quid? contrarium etiam tuemur? Ita sane est. Quemadmodum Evangelicorum, sic Catholicorum sacris addicti persuasum habent, ecclesiae suae moderamen communioni tum ecclesiasticae, tum civili saluberrimum esse. Quis igitur Ciceroni, pro domo disputanti, similior? Quis rectius videt? —

Ac primo loco, hierarchiam ecclesiae utilem esse, ante omnia colligitur 1) ex divina ipsius origine. Quod quidem benignissimus novi foederis auctor sapientissime instituit, id omni modo nonnisi utilitati salutique servire potest. Jam, si sacer principatus, qui in ecclesia christiana obtinet, a Jesu Christo ipso provenit; quis magnam ejus utilitatem negabit? Hanc obiter negare, est: pernegare illum. — Quae vero ratio? Haec: Diversi personarum gradus societatis ecclesiasticae ordinem, atque adeo ejusdem salutem conservant, promovent. Neque enim quisquam rite praeesse potest, qui non decenter subesse didicit. Quod videre licet in re militari [1]). Atqui clericos cum militibus certo respectu haud inepte comparandos esse, nemo unquam infitias ivit. Fundatur itaque et augetur potissimum, legitimo quodam ordine servato, etiam societatis ecclesiasticae salus ac felicitas [2]). —

---

1) Cicero de leg. III. „Qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse." Et recte. Nam, ubi omnes liberi esse volunt, nemo revera est liber. Omni tempore exstiterunt, qui, et corporis et animi magnitudine excellentes, aliis praecepta darent.

2) Adposite ad rem Marc. Ant. de Dominis de republica ecclesiastica. Heidelb. 1618. lib. IV. c. 12.:

Sed cum quaestio proposita non angustis scholarum cancellis circumscripta teneatur; indubitata judicii nostri veritas sequitur

2) ex historia, temporum nuntia, tanquam teste omnium gravissima. Quid jam referunt subtiles annalium scriptores? Paucis: Quod divinus noster Servator, hierarchia quadam instituenda ac stabilienda, pro singulari sua sapientia efficere voluerit, id temporis decursu eundem re ipsa effecisse. Prodiit inde arcta animorum conjunctio, debita tironum instructio, atque firma totius sodalitatis constitutio. Prodiit exoptata illa ecclesiae universae unitas, quam, ubi nullus principatus, in hoc orbe terrarum frustra quaesieris. Prodiit tandem religionis ipsius, quam veram candidi profitemur, summum et augmentum et firmamentum. »Quam ob rem, si quis omnes Christianos promiscue N. T. sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos af-

„Ad hoc divinae dispensationis provisio gradus diversos, et ordines constituit esse distinctos, ut, dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiae fieret ex diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiae ordo servaret.“

firmet; nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies, ut φάλαγξ ordinata, confundere." Conc. Trid. sess. XXIII. de ord. c. 4. Ita, historiae voluminibus evolutis, Catholicorum formulae dediti [1]). —

---

1) Quod argumentum religiosi rerum auctores: Baronius, Nat. Alexander, Tillemont, Fleury aliique suo more pluribus verbis amplexi sunt.

Cf. Dr. Theob. Catholicus (Meinrad Sprenke) Krieg und Friede mit Man. Mendoza y Ryos. II. B. Leipz. 1822. p. 106.: „Die hierarchische Verfassung der katholischen Kirche ist nicht um ihrer selbst willen, sie ist um des Volkes, um des Ganzen willen da; durch sie soll das Volk in der gesunden Lehre erhalten, vor selbst gemachten Hirngespinsten der Philosopheme und Kriteleien dünkelvoller Halbweisen geschützt, in dem Geiste des Urchristenthums bewahrt werden."

Joh. Bapt. Kastner: Würde und Hoffnung der kathol. Kirche. Salzb. 1822. p. 27.: „Die Hierarchie überhaupt — ist eine grofse, nicht zu berechnende Wohlthat für die Kirche. Diese göttliche Sendung und schöne Stufenfolge der geistlichen Hirten, unter einem sichtbaren Oberhaupte die Christengemeinde lehrend, weidend und leitend, — bringt *die christliche Kirche mit der israelitischen* in Zusammenhang; hält sie zusammen im Glauben und in der Liebe, und bewahrt sie vor Zerstreuung in der Lehre und in dem frommen christlich patriotischen Gemeinsinne; sie verschafft der Kirche eine angemessene Repraesentation und Sichtbarkeit, und drückt derselben ein eigenes Gepräge von Respectabilität und Majestät auf."

Et alius vir doctrina politus: „Gott schuf die

An vero **omnibus**, qui se **Evangelicos** esse gloriantur, **eadem mens**? Nequaquam. Sunt, qui hierarchiam pro invento duntaxat humano, ne dicamus, diabolico, habeant, illamque reipublicae ecclesiasticae perniciosissimam judicent. Queruntur de indomita regnandi libidine, de immoderata et infinita potestate, de non toleranda tyrannide. Adseverant, hierarchas nostros, ipsos solutos et effrenatos, id praecipue agere, ut jam puerorum liberale ingenium opprimant, juvenibus spiritum servilem instillent, viros, ad ipsorum tantum proposita peragenda, condocefaciant [1]). Objiciunt iisdem, quod, in literis

---

Hierarchie, und für die Kirche ist nun bis zum Weltende mehr als genug gesorgt. — Ohne diese göttliche Institution wäre kein Christenthum mehr in der Welt."

1) En **flores** nonnullos ex alienis hortulis decerptos atque in unum fasciculum colligatos: Geistliche Herrschsucht, Mönchs- und Pfaffenherrschaft, Priesterdespotismus, hierarchischer Druck, Zwangsherrschaft, Kampf der Finsternifs mit dem Lichte, Religionssklaverei, Geistestyrannei, Weltpriesterschaft, Universalmonarchie, hierarchische Kosmopolitik!! etc. etc. In hoc laudis genere principatum ambitiosum et imperium singulare petentes excellere dicuntur. Facete! lepide! laute! —

Sed stant etiam ab **altera** parte, qui, stomachosi, ingenue fatentur: „Auch bei uns wachsen die Päpste, wie die Pilze." Vid. Neue theolog. Annal.

plerumque parum versati, alios etiam in summa rerum ignoratione teneant, quod saepissime de juribus, rarissime de officiis disputare dignentur, quod denique, dulci otio dediti, reliquos, in titulis stupentes, ad operosum laborem damnent. En equum Trojanum, e quo omnia et schismatum et haereseon mala in mundum abunde manarunt! Haec a Catholicorum sacris alieni [1]). —

Quid nunc iis reponendum? Istud:

---

1) Ex antiquioribus Mart. Chemnitius in exam. Conc. Trid. Genev. 1641. P. II. p. 420.: „Tandem vero, post abjectum verbi et sacramentorum ministerium, conversi sunt episcopatus in dominationes, — et episcopi facti sunt principes gentium, qui dominantur; quia Christus apostolis quidem dixit: Vos autem non sic; successoribus vero apostolorum, h. e., nostris episcopis forsan dixit: Vos autem sic."

Ex recentioribus H. G. Tzschirner: Protestantismus und Catholicismus aus dem Standpunkte der Politik betrachtet. Leipz. 1822. p. 41: „Nur Andere soll die Hierarchie binden; sie selbst wollen frei bleiben von ihren Fesseln." „Daher (vid. Desselben Sendschreiben an Herrn Abt Max. Prechtl p. 8.) ist eine aufrichtige Achtung gegen die katholische Kirche, als eine christliche Kirche, mit dem lebhaftesten Widerwillen gegen das Papstthum und die Hierarchie recht wohl vereinbar." Et p. 27.: Da aber die Zeit erfüllt war, sandte Gott Luther und Zwingli, auf dafs sie die, so unter dem Gesetze der Hierarchie waren, erlöseten, dafs wir aus Knechten des Papstes und der Bischöfe freie Söhne einer freien Kirche würden."

Damus ultro, quod nobis, vi quadam adhibita, extorquere conantur. Quod negari nequit, neque nos, a veritate haud deflexuri, negare in animo habemus. Quod reprehensu dignum, nos quoque, a partium studio longe remoti, libere reprehendimus. Nam, ut quaevis res per se bona, ita hierarchia in malam partem verti potuit. Aliis quibusque hominibus similes, hierarchae etiam, per humanam vel fragilitatem vel levitatem, potestate sibi concessa abuti potuerunt, eaque praecipites reapse interdum privatim ac publice abusi creduntur.

Ut hoc unum commemoremus, quis, quaesumus, laudibus ad coelum efferet eos, qui in publicum prodeuntes omnium oculos in se convertere, qui, aegre rogati, ubique primas sedes occupare, qui nunquam non in ceteros, sui juris, intempestive dominari velint? Qua effrena et insatiabili dominandi cupiditate nil in clerico turpius, nil vesanius, nil intolerabilius. Repugnat nimirum talis superbiendi ratio egregiae divini magistri ejusque discipulorum doctrinae et exemplo. Repugnat omnium virorum sanctorum moribus severissimis illis quidem, sed suavissimis [1]). —

1) Christus: „Οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν·

At, si mala, quae hierarchia procreavit, sedulo reteguntur; cur bona, quae effecit, studiose obteguntur? Abusum, non usum refers? Hancce imaginem adumbras? Absit. In multis offendimus omnes. Quilibet, quamvis officii plenus, vitae splendorem saepe maculis adspergit. Nec ullus, quamvis magni nominis theologus, omnium optatis respondere potest [1]). Quis autem est, qui oves quasque lupis rapacibus temere commissas adfirmet?

— ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλ᾽ ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, (ergo est aliquis major,) γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος." Luc. XXII, 25. 26.

Petrus: „Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, — μηδ᾽ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. 1. Pet. V, 2. 3.

Paulus: in epistolis ad Timoth. et Tit. datis.

Chrysostomus: de sacerdotio.

Bernhardus ad Eugen. Pap.: „Nec enim tibi Petrus dare, quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem scilicet super ecclesias. Numquid dominationem? Audi ipsum. — I ergo tu, et tibi usurpare aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum."

Respice inter alios sanctum Carolum Borromaeum, respice immortalem Pontificem Pium VII, qui, quanto superiores erant, tanto submissius se gerebant! —

1) Horat. serm. lib. I. sat. 3.: „Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur."

„Gerade das ist das Grofse, um einiger Mifsbräuche willen, das Gute nicht zu verkennen."

Peccassent fortasse ii, ad quos rerum principatus delatus est, etiamsi pedo et infula ornati non fuissent. Nam quotusquisque invenitur, qui non, altiora quaedam spirans, ceteris imperare, quam servire malit? Interim tempora opportuna suum cuique tribuunt. Gregorius VII, Innocentius III, Bonifacius VIII, aliique fama clari, qui nonnullis arcum nimis intendisse sunt visi, inter non Catholicos ipsos, ad aequitatem delapsos, aequos censores experti sunt [1]). Neque satis digne laudare possunt aliter sentientes miram multorum ecclesiae nostrae praesidum, praesertim Italorum, comitatem eximiamque humanitatem [2]).

Ceterum, velut nos, quanquam sub duro hierarchiae jugo (?) missi, nemini sententiam nostram inurbane obtrudimus; sic non est, quod aliorum sensa nobis invitis obtrudi sinamus. Patent divini Servatoris oracula, — versantur ante oculos rerum gestarum monumenta, — judicet, qui vim judicandi habet [3])! —

1) Celeberrimus quidam historicus: „Sie waren die Männer ihrer Zeit.“

2) Vid. die verschiedenen Reisebeschreibungen über Italien.

3) Hac quoque in re, ad ecclesiae formam spectante,

§. 10.

Neque rei publicae damnosa.

Secundo loco, hierarchiam non tantum ecclesiae utilem, verum etiam rei publicae haud noxiam esse, eodem modo deducitur

1) ex divina illius origine. Christus quidem, ut verus Dei filius, quod civitati bene administrandae detrimentum importaret, nihil instituere potuit, nihil re ipsa instituit. Nihil potuit: Nam utraque potestas, et ecclesiastica, et civilis, quarum altera felicitatem internam, altera externam potissi-

---

ut jam alibi monuimus, toto animo iis adsentimur, qui, pacis alumni, neque peregrinae virtutis obtrectatores, hoc in primis tractant: „mehr das zwischen den verschiedenen christlichen Religionsparteien in Lehre, äusserer Gottesverehrung und Kirchenverfassung noch Uebereinstimmende aufzusuchen und hervorzuheben, als das oftmals nur scheinbar Abweichende ohne Noth und Nutzen zu vergrößern oder gar zu entstellen; mehr, vom Geiste christlicher Liebe und Eintracht beseelet, nach Kräften eine wünschenswerthe Annäherung zu befördern, als eine, zum Theile auf Wortstreit, Mißverständnissen und Nebendingen beruhende Trennung geflissentlich zu unterhalten." Vid. Ulmer Jahrschrift für Theologie und Kirchenrecht. B. V. H. 3. p. 486. seq.

mum respicit, a Deo ipso profecta censetur [1]). Utraque, ad bonum commune spectans, etsi in thesi sejuncta, in praxi tamen arcte conjuncta, apparet. Unde statum in statu affirmare aeque ac negare nobis posse videmur [2]).

Verum idem summus omnium magister et judex nihil reapse instituit. Ipse enim, qui non politici philosophi, sed morum doctoris personam suscepit, re publica jam constituta, hanc tulit sententiam: „Ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου.“ (in, non de hoc mundo.) Joan. XVIII, 36. Lite quadam super patrimonio exorta, significanter dixit: „Τίς με κατέστησε δικαστὴν ἢ μεριστὴν ἐφ' ὑμᾶς;“ Luc. XII, 14. Et captiose inter-

---

1) Sunt quidem, iique haud contemnendi, qui, num summum imperium a Deo, an ab hominibus acceptum credatur, dummodo illi promto paratoque animo te subjicias, nihil ad rem facere contendant. Ast, qui supremae majestatis non violandae originem a Deo ipso, tanquam a capite, repetunt, S. litteris convenientius sentire videntur.

Hinc C. L. v. Haller Restaurat. der Staatswissenschaft. B. II. p. 68.: „Nur der Glaube an diese Wahrheiten, welche die Fürsten als Statthalter Gottes erklären, und ihre Macht von Gott — nicht vom Volke ableiten, vermochte, gekräftigt durch die Heilsanstalten der Kirche, die Menschheit vor einer anarchischen Selbstzerstörung zu retten.“

2) Qui contra disputant: „Non solum status in statu, sed status per omnes status.“ — Esto,

rogatus, an imperatori tributum pendere liceret, accomodate respondit: „*Ἀπόδοτε οὖν τὰ Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ.*“ Matth. XXII, 21. Quid? quod obedientiam, legitimis superioribus debitam, nunquam recusavit; quod in causas temporales potestatem, neque directam, neque indirectam, graviter sibi vindicavit.

Ejusdem vestigia acerrime persecuti sunt Apostoli. Numquid clarius verbis Petri: „*Τὸν Θεὸν φοβεῖσθε· τὸν βασιλέα τιμᾶτε;*“ I. Pet. II, 17. Numquid apertius dictis Pauli: „*Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω· οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ;*“ Rom. XIII, 1. seq.

Hinc ecclesiae christianae membra civitatis membra, quae religionem, qua, (velut firmissima basi,) hujus salus innititur, viriliter promovere, quae pacem et concordiam leniter suadere, quae verbis et factis leges civiles impigre observandas procurare debent, nulla ratione esse desinunt [1]). Quod autem sacro-

---

1) Der **Apologet** des Catholicismus. Heft VII. p. 17.: „Der Bischof ist der Erste, der den Gehorsam gegen die Obrigkeit seinen Gläubigen empfiehlt. Er schwört den Eid der Treue in die Hände seines Königs, — er predigt es durch Wort und That, daſs dem Souverain die Gewalt von Gott gegeben ist. Und die Christgläubigen, seiner Lehre und seinem Beispiele folgend,

rum antistites his jucundis officiis revera satisfecerint, haud praepostere redundat

2) ex **historia** perpetua, optima rerum et sacrarum et profanarum interprete. Etenim docet rerum gestarum cognitio, hierarchas jam primis ecclesiae temporibus, iisque acerbissimis, gregem divinitus sibi concreditum ad obedientiam ac reverentiam, civitatum gubernatoribus libenter praestandam, omni modo excitasse. Docet, eosdem medio aevo gentes barbaras et efferatas domuisse, domitas honestis artibus litterisque excoluisse, atque pro virium facultate excultas in principum potestate tenuisse [1]). Docet, illos subsequenti-

werden die treuesten Unterthanen des Regenten, beobachten die Gesetze nicht aus Furcht vor der Strafe, sondern um Gottes willen, und hängen ihrem Könige mit Gehorsam und Liebe an."

Quod interdum minae ferrumque principum non efficiunt, id efficiunt - tenerae clericorum cohortationes.

1) Notissima sunt virorum pragmaticorum: Joan. de **Müller**, **Herder** aliorumque in hierarch. elogia: „Ohne die Päpste wäre aus Europa das geworden, was Griechenland nunmehr von Türken bewohnt." — „Wenn die Hierarchie ein Uebel wäre; so doch besser als Despotie."

G. **Tzschirner** l. c. p. 31.: „Im Mittelalter, das ist nicht zu leugnen, ruhete alle weltliche Macht in der Geistlichen, vom Priesterthume ward damals das Königthum gehalten, und es bedurfte der ganzen Strenge

aetate ad jus publicum privatumque condendum, ad leges tempori aptas sanciendas, et ad ipsam rei publicae formam stabiliendam haud parum contulisse. Paucis: Docet praeteritorum memoria, ecclesiae nostrae praefectos doctrinae evangelicae atque apostolicae et ipsos convenienter egisse, et aliis, ut perinde agerent, luculentos auctores exstitisse. »Vere christianus, — utilis civis.« Ergo tantum abest, ut hierarchia civitatum qualemcunque statum turbet ac labefactet, ut earum etiam dignitatem summopere sustineat et adjuvet [1]). —

---

einer richtenden Hierarchie, die rohen Völker zu zähmen."

Trahi huc possunt, quae circumscripte complectitur Joseph de Maistre: du Pape. Uebersetzt von M. Lieber. Frankf. 1822. I. Th. II. B.: „Vom Papste in seinem Verhältnisse zur weltlichen Souverainität." II. Th. III. B.: — „zur Civilisation und zum Glücke der Völker."

1) M. Prechtl in seiner Beleuchtung der D. Tzschirnerschen Schrift p. 45: „Das Wohlthätige der kirchlichen Hierarchie haben alle Jahrhunderte des Christenthums beurkundet. Die Zeitumstände des Mittelalters gaben ihr zum Besten der Menschheit einen gröſsern Spielraum, und räumten ihr sogar in Hinsicht des Zeitlichen Rechte ein, die sich von der Verfügung des göttlichen Stifters nicht herdatiren."

J. B. Kastner l. c. p. 30.: „Nicht nur ist die Hierarchie dem Zwecke und Wohle der Staaten nicht

Sed qua fronte, ira commotus in nos inveheris, talia praedicare possumus? In solvenda quaestione facti potius, quam juris nulla valet argumentatio. Principio: Nonne hierarchae inde ab ecclesiae christianae primordiis oppressi, mox ipsi alios inconsiderata temeritate oppresserunt? Nonne a reliquis humanae societatis membris paulatim se separarunt? Nonne publicis, quibus insipientium vulgus premebatur, oneribus allevatis, regnum in regno formarunt? Tum vero, quid tempore prolabente sibi voluit metaphora, a sole et luna ducta, nisi ut potestas civilis ecclesiasticae subjiceretur ac paene abolere-

entgegen, da sie das Gebiet der Weltlichkeit eigentlich nicht berührt; sondern, da sie die Religion Jesu mit Nachdruck den Gläubigen einschärft, und sie ernstlich daran erinnert, was sie den Regierungen schuldig sind; so wird eben dadurch die Königskrone in das Gewissen der Gläubigen hinein- und daselbst niedergelegt; wo sie die schicklichste Liegerstätte, die treueste Schildwache, und die stärkste Gewährleistung ihres Ansehns findet."

Vid. der Religionsfreund für Catholiken, Aprilheft. 1823. p. 422.: „Wie die geistliche Macht einst dazu diente, dem Despotismus barbarischer Fürsten zu begegnen; so wird sie nun die Fürsten unterstützen, sich zu schützen gegen Anarchie ihrer empörten Völker. In ihre reinen Schranken zurückgewiesen, mufs sie sich in dem legitimen Ansehn der Regenten aufrecht erhalten."

tur? Atque quis est, qui nesciat, clericos imperiosos et pertinaces causis temporalibus vario modo reapse se implicuisse, placidarum civitatum principes, in ordinem coactos, honore ac principatu dejecisse, subditosque fideles, succo et sanguine privatos, oblato sacramento exemisse, verbo: omnia jura, cum divina, tum humana, lucri faciendi causa violasse, mactasse? Denique, Curiam Romanam, de salute temporaria in primis sollicitam, ad hodiernum diem id mirifico studio moliri, ut simplicium sacricolarum animos, a publico bono callide aversos, sibi suisque rationibus magis conciliet, ambiguum esse non potest. Neque enim versuta ista conciliatrix toti terrarum orbi dominari cessavit, quia non vult, sed quia armis non amplius pollet. Nil actum reputat, dum quid superest agendum.

Quibus coronidis loco haec adde: Quodsi catholicae formulae inhaerentes rei publicae libertati ac securitati nequaquam sunt timendi; cur Hiberni, ob solam doctrinae sacrae professionem plena civitate carentes, a libero populo adhuc vexantur? cur in frequenti senatu leges, de eorum emancipatione rogatae, optimatum suffragio iterum iterumque abrogantur? Annon seditiones ac rerum

conversiones, in Gallia, Italia, Hispania recens factae, satis superque demonstrarunt, communionis evangelicae constitutionem catholicae ecclesiae regimini palmam eripere? Ergo hierarchia rem publicam sapienter compositam perturbat, profligat [1]). —

Quibus in dictis nostro quidem arbitrio falsa admixta sunt veris. Etenim, ut veritatem in disputatione limemus, hierarchia, quae juxta divini magistri promissionem nova indies cepit incrementa, hac de causa limites, a ratione et religione praefixos, trans-

---

1) Post Pfaffium nuperrime Herbert Marsh: Vergleichende Darstellung der protestantisch - englischen und römisch-katholischen Kirche, übersetzt von J. C. Schreiter. Sulzb. 1821. p. 291.: „Denn es ist schlechterdings unmöglich, daſs diejenigen, deren Treue getheilt ist, eben so gute Unterthanen sein sollten, als die, deren Treue allein und gänzlich ihrem Landesfürsten gewidmet ist."

H. G. Tzschirner l. c. p. 41.: „Die Hierarchie bestehet noch, aber in der That nur als eine aus dem Mittelalter stammende, alternde Ruine, nicht als ein frischer und lebendiger im Boden der Zeit gewurzelter Baum." Et p. 65.: „Wo es keine Hierarchie gibt, da ist ein Gährungsstoff und ein Hinderniſs zeitgemäſser Fortbildung weniger vorhanden."

Antiromanus, oder die Kirchengeschichte eine Warnungstafel für Fürsten und Völker vor Begünstigung des römischen Catholicismus; von Christianus Sincerus. Leipz. 1823. IIIter Abschn.

gressa dici nequit. Nec magis hierarchae, a rerum publicarum moderatoribus adjuti, jus naturae et gentium superiori tempore a multis vel plane ignoratum, vel nondum satis excultum, data opera obscurasse atque migrasse existimandi sunt. Quod vero nonnulli, clavibus regni coelorum duntaxat acceptis, longe secus docuerunt aut fecerunt, docent aut faciunt, id, sine summa injuria et ingenti moestitia, omnibus fidenter imputare argutissimus ac modestissimus quisque vix audet. Dic, sodes, an fortasse in sententiam mirandi Bellarmini, qui, S. Pontificibus potestatem saltem indirectam in temporalia adtribuendo, principum dignitati labem quandam adspersisse putabatur, omnes descendant sacrorum catholicorum participes [1])?

---

1) Rob. Bellarmini disput. de controv. christ. fid. tom. I. Mediol. 1721. de Rom. Pontif. lib. V. c. 6.: „Papam habere summam temporalem potestatem indirecte.“ Quae sententia c. 7. rationibus theologorum, et c. 8. exemplis probatur.

Et ejusdem auctoris tractatus: de potestate S. Pontificis in rebus temporalibus adv. G. Barclaium.

Cf. novissime Darstellung der Gesinnungen Sr. Heiligk. Pius VII. über die Erklärung der vereinten protest. Fürsten und Staaten des deutschen Bundes vom 10. August 1819.: „Wenn die vereinten protest. Fürsten und Staaten des deutschen Bundes wünschen,

Dic, amabo, an fortasse, luctu deposito, supremum munus primoribus civitatum a sacerdotibus popularibus hodieque nunc detur, nunc adimatur [1])? Neutiquam. Quemadmodum autem potestas civilis, ita et ecclesiastica, ob quosdam errores commissos, non statim parvi pendenda aut prorsus dissolvenda videtur [2]).

---

dafs der Erzbischof angelobe, ihre gesetzmäfsigen Rechte in Allem dem, was auf die bürgerliche Verfassung Bezug hat, nicht zu stören; so ist Se. Heiligkeit nicht dagegen."

1) Cleri Gallicani, cui plerique theologorum Germanorum adsentiunt, propos. 1ma ita sonat: „B. Petro ejusque successoribus Christi Vicariis, ipsique ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium a Deo traditam potestatem. — Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium ecclesiae, directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide et obedientia ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus ecclesiae, quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni et Sanctorum exemplis consonam omni modo retinendam."

Ecquid est, quod, macte virtute! regnum regnumque agentes magis tuletur?

Cf. J. B. Bossuet: défense de la déclaration du clergé de France.

Et M. Grégoire: essai historique sur les libertés de l'église gallicane et des autres églises de la catholicité. Paris 1818.

2) Montesquieu de l'esprit des loix. Amst. 1749. tom. II. liv. 24. ch. 2.: „Si je voulais raconter tous les

Quare ne Evangelicorum quidem sacris operantes Hibernorum aerumnas atque miserias aequo animo ferunt, propterea, quod hoc natura insitum est, ut paribus officiis paria jura respondeant [1]). Iidem, seditiones hinc inde concitatas non principatui ecclesiastico, sed aliis rebus originem debere, una nobiscum fatentur; sat persuasum habentes, quod ipsi (cf. Confess. August. lib. XVI.) de magistratu politico statuunt, id nos quoque tranquillo animo statuere [2]). Ceterum, tempori-

maux, qu'ont produit dans le monde les loix civiles, la monarchie, le gouvernement républicain, je dirais des choses effroyables."

1) Cicero de rep. I. 32.: „Jura paria esse debent eorum inter se, qui sunt cives ejusdem civitatis."

Quod G. Cooper: Briefe über den neuesten Zustand von Irland, nebst einer apologetischen Schilderung der Katholiken in England. Jena 1801. systemate Catholicorum cum ecclesiae Anglicanae doctrina comparato, praesentem Hibernorum statum quodammodo sublevare voluerit, multis laudem mereri visum est.

Der Staatsmann (bei ähnlicher Gelegenheit): „Als ob es nur unter den anglicanischen Confessionsgenossen treue und zuverläſsige Unterthanen gäbe?"

2) Legendo, si vis, percurre, quae longius dicit auctor scriptionis: Prüfung der vom D. Tzschirner herausgegeb. Schrift: Protest. und Cathol. Leipz. 1823. p. 12: „Es wäre sogar nicht unmöglich, daſs die ersten Funken zu dem Feuer, welches südländische Leidenschaft entflammte, nordländischen Kratern entsprungen wäre." p. 23.: „Wie ungereimt wäre der

bus nunc valde mutatis, non habent sane hierarcharum multi, et ecclesiae et rei publicae ministri, unde, s. officiis suis desertis, cum imperantium damno molesti gentium ac nationum exsistant domini. —

Quodsi vero ecclesiae catholicae hierarchiam, societati tum ecclesiasticae, tum civili haud damnosam, imo saluberrimam esse contendimus; corporis evangelici faciem et formam, intelligentibus rerum publicarum rectoribus, angusta disputatione invisam ac suspectam reddere nec possumus, nec volumus. Quae quidem primoribus labris degustata in praesenti satis sunto! — —

Utinam plena inter regnum Dei et regnum mundi, inter sacerdotium et imperium esset concordia! Nulla Papo-Caesaria, nulla Caesaro-Papia! Alter alteri ne temere diffidat! Nemo et officiorum et jurium fines plus aequo proferat! Nam concordiâ res publica tam sacra quam profana crescit, discordiâ utraque ocius serius dilabitur. Ubi intima rerum non secus ac personarum con-

---

Schluſs, wo es lange nicht gebrennt hat, da ist kein brennbarer Stoff vorhanden!" — Sed manum de tabula! —

sensio, ibi beatissima ac splendidissima civitas [1]).

Est igitur, cur immortaliter nobis gratulemur, quod sub Rege vivamus et potentissimo et clementissimo, qui, fidelis populi sui amor ac deliciae, utriusque ecclesiae causas regali animo et paterna cura amplectitur, atque sine ullo fidei professionis discrimine Viros probos laudat, aestimat, improbos reprehendit, despicit.

Gaudeamus, quod in Pii locum apostolica successione successerit S. Pontifex Leo, neque ingenio, neque eruditione, neque vitae sanctitate illi impar!

1) Petr. de Marca de concordia sacerdotii et imperii. Francof. 1708. lib. II. c. 1.: „Regium imperium quietem publicam, episcoporum sollicitudo felicitatem aeternam hominibus procurat. Reges saecularibus, Pontifices spiritualibus ordinandis se impendunt. Quamdiu neutra potestatum in alienos limites insiliet, mutua concordia res christiana amplificabitur."

Cf. Ferd. Walter's Lehrbuch des Kirchenrechts, Bonn 1822. §. 24.: Verhältniſs der Kirche zum Staate. p. 55.: „Also soll jetzt jedes frei sein auf und in seinem Gebiete; der Staat aber soll die Stimme der Kirche hören, wenn er etwas gegen das christliche Gesetz unternimmt, und die Kirche soll ihre Beschlüſse dem Staate mittheilen, um nicht mit der bürgerlichen Ordnung in Widerspruch zu gerathen. Die Kirche soll den Staat unterstützen durch Einbürgerung der Gesinnung; und der Staat die Kirche durch die Achtung gegen ihre Diener und ihre Einrichtungen."

Gaudeamus, quod, precibus a fervido pectore ad Deum fusis, etiam nostra in dioecesi episcopum principem nacti simus — עִמָּנוּאֵל — Virum revera reverendissimum, celsissimum!

Gaudeamus, quod inter presbyteros, qui vel episcopum in ecclesiae regimine viriliter adjuvant, vel teneram animarum curam obeunt, vel honorificum docendi munus administrant, numeremus homines gravissimos aeque ac meritissimos!

Gaudeamus denique, quod jam ex juventutis flore ac robore ingenii et virtutis laudibus efflorescant diaconi, reipublicae christianae magno quondam et ornamento et praesidio futuri!

Longe longeque, nostra quoque in patria, firma pax atque perpetua sacerdotium inter et imperium colatur concordia!!

Theses *).

1. Gravissimis ex causis Jesus Christus salutaris doctrinae suae capita literis consignare intermisit; hinc verbo Dei ut scripto, ita tradito suus et debetur et defenditur locus.

2. Concilii Tridentini Patres, qui sess. IV. Vulgatam optimo consilio authenticam declararunt, eandem ipsis s. scriptorum verbis non aequiparasse, multo minus anteposuisse dicendi sunt.

3. A vanis conjecturis cum ubique, tum in s. literarum expositione abstinendum.

---

*) Quae me in argumenti tractatione, eadem in sententiis his seligendis impulit causa, ut, offensionem vitaturus animosque placaturus, a rebus novis atque inauditis abhorrerem.

4. Terram, a nobis incultam, quam vulgo putatur, diutius stare, est opinio, omni historico fundamento destituta.

5. Quanquam ultimum Concilium generale, δαιμονιζομένυς, a Servatore nostro mirabiliter sanatos, vel gravissimis duntaxat morbis implicitos, vel a daemonibus revera obsessos fuisse, non dijudicavit; posterior tamen sententia, quae cum aliis S. S. locis arcte cohaeret, priori, a nonnullis nostrorum interpretum varia fortuna defensae, haud inepte praeferenda censetur.

6. In sola s. librorum distributione, quin viva vox emittatur, humanae salutis cardinem verti, quis sibi unquam persuadebit?

7. S. Patrum auctoritatem nimis augere, est imprudentis, nimis minuere, impudentis.

8. Qui, philosophia cum theologia perperam conjuncta, religionis christianae dogmata, a posteriori percepta, jam a priori constituunt, aliosque, ab ipsis paululum dissentientes, tanquam legum logicarum minus peritos carpunt, sua potius, quam religionis divinitus patefactae decreta venditare solent.

9. Inter complures doctrinae sacrae formulas, Catholicis non ita pridem affictas, una

tantummodo vera esse potest fidei professio; atqui haec una a Pio IV. profecta dicitur, ergo reliquae, ei contrariae, sunt falsae.

10. In credendo auream, quae est inter nimium et parum, tene mediocritatem; at, si cum hominibus aut nimis superstitiosis, aut parum credulis necessario vivere deberes, quorum consortio uti malles?

11. Inter ecclesiam orientalem et occidentalem discrimen non est tantum, quantum nonnulli animo temere fingunt.

12. Etiamsi ecclesia, dubiis aut forte incertis testimoniis innixa, in unius alteriusve canonizatione errare posset; religiosus tamen omnium Sanctorum cultus nullo modo periclitaretur.

13. Quid aliud sibi volunt vaniloqui isti hujus memoriae philosophi ac theologi, voce magna exclamantes: »Quis mihi dabit, videre ecclesiam Dei, sicut erat in diebus antiquis!« nisi, ut ecclesiam, dilectam redemtoris nostri sponsam, omni nuptiali ornatu exuant, christianamque religionem ipsam, divinae providentiae donum gratissimum, parvi aut nihili pendant?

14. Quod dogma: »Extra ecclesiam catholicam nulla salus.« H. G. Tzschirner

in libro: »Protestant. und Catholicism. etc., tanquam abominandum atque horrendum rejecit, idem, necessarium ac salutiferum, ipse tueri videtur.

15. Cum catholicae formulae dediti praeter S. Scripturam, quam cum Christiano-Evangelicis communem habent, etiam pari pietate traditionem amplectantur, ideoque, (ut alias differentias praetermittamus,) inter utrosque id maxime intersit, quod illi hos, plura credendo, facile superare existimentur; sponte sua sequitur, eos, qui ex Evangelicorum castris (ut nuperrime: L. C. de Stolberg, F. Schlegel, Z. Werner, L. de Haller aliique,) ad Catholicorum sacra transierunt, et adhuc transeunt, fidei, hincque salutis jacturam fecisse et facere, commode dici non posse.

16. De Evangelico-Lutheranis cum Calvinianis hic atque illic recens conjunctis bene, an male sperare licet?

Resp.: Ad nos quod adtinet, bene sperare volumus.

17. Si, cum celeberrimis historiae eccles. scriptoribus, indulgentias poenarum ecclesiasticarum remissionem esse statua-

mus; quomodo adsiduus illarum usus Christianis adhuc utilitatem adfert?

18. Doctrina morum (id quod nonnulli recentiorum Rationalistarum dementer somniarunt,) sine fidei doctrina firmiter constare nequit.

19. Sunt 7 dona Spiritus S., 7 sacramenta, 7 virtutes et vitia, 7 opera misericordiae; cur Romae 6 *), extra Romam nonnisi 5 ecclesiae praecepta?

20. Si optimus mysticus plerumque pessimus theologus esse perhibetur, falsus mysticismus a vero prudenter distingui debet.

21. Sunt multi, qui prudentiam serpentium habent; an iidem columbarum simplicitatem?

22. Quaeritur: an quatuor illae theses, quas M. Grégoire in novissimo opere: »Essai historique sur les libertés etc., utpote ad potestatem civilem spectantes, in medium protulit, ecclesiae Gallicanae propositionibus, circa regimen ecclesiasticum versantibus, rite respondeant, et ab unoquoque simpliciter accipi possint?

---

*) Dottrina cristiana dal P. Roberto Bellarmino. 6to precett: pagar le decime.

23. Matrimonia Catholicorum cum Acatholicis inita etsi pia mater ecclesia in universum non adprobat, tamen non omni in casu reprobat.

24. Caelibatus, de quo multum in contrarias partes argute disputatum est, Clericis Romano - Catholicis etiamnunc recte commendatur.

25. Num valde optandum est, ut, (quod aliis in locis fit,) apud nos etiam, cum novitiis S. S. theologiae studiosis, consummata theologia ipsa seminariis includatur?

26. Pervulgata illa cl. Erasmi opinio: »Ecclesiae catholicae omni tempore maxime offecerunt, qui inprimis Catholici esse voluerunt.« usque ad hodiernum diem locum tenere videtur. Quae utinam falsa esset!

27. E. Fabritius, libri: »Ueber den herrschenden Unfug auf deutschen Universitäten etc. auctor, si paulo moderatius scripsisset, haud dubie melius fecisset.

28. Praeclarum viri sapientis, religione imbuti, dictum: »Scientia sine caritate inflat; caritas sine scientia aberrat; scientia cum caritate aedificat!«